

EPISTULA LEONINA

CCXLVIII

**HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:
<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM DUODEQUINQUAGESIMAM (248)!

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-06
EGO SUM NOLITE TIMERE.....	07
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....	08-11
FABELLA NATALICIA: DE ARBORE NATALICIA OMNIUM PRIMA.....	12-17
<i>SPRINGERLE</i> SIVE CRUSTULA LEVATORIA.....	18-22
GLOSSAE ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (II).....	23-27
ECHUS VOCES EPISTULAE.....	28-31
DE VACCINATIONE CORONARIA QUID SENTIANT....	
Dr. med.Gaius Licoppe.....	32-34
Dr. med.Thomas Sarnes.....	35-41
Responsio Dr.med. Gaii Licoppe.....	42-44
Otto Schily.....	45-46
PROFESSOREM VINDOBONENSEM CRITICUM CORONARIUM ESSE DIMISSUM.....	47
NUM MORS EFFECTA EST VACCINATIONE?	
Pathologi referunt de damnis vaccinatione coronariâ contractis.....	48-52
POEMATIA NEOLATINA	
HAICU MAURI PISINI.....	53
COLLECTANEA RADULFI LAVALLE BONAERENSIS.....	54-66
Martinus Freundorfer.....	54-62
Gerd Allesch.....	63
Radulfus Lavallo.....	63-64
Jean Villon.....	64
Sergius.....	65
Lucas Salerno.....	65
Hibernici donum.....	66
NVNTIVS DE PROXIMO CONVENTV ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE (11-15.VI.2022).....	67-68
LIBRI LEONIS LATINI.....	69-72

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.



NOLITE TIMERE !

VULG.Luc.2,8-16: 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis Angelus: **Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum**, quod erit omni populo: 11. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. 12. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio. 13. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium: 14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum: pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in praesepio.

Cara Lectrix, Care Lector,

*angelus Domini quid dicit pastoribus? "Nolite timere!"
Quid nobis hodie dicit? Nolite credere timoris Panici
propagatoribus! Timore Panico excitato cives tamquam
oves obstupidas oboedientes patienter patiuntur iura
sua manere ablata, patienter patiuntur remedia
coronaria stupida et inutilia, mascam et quaran-
taenam et experimentalem inijectionem genotechni-
cam, quam falso dicunt vaccinationem. Furore pande-
mico iam per biennium saeviente homines patienter
passi sunt ruinam oeconomiae necnon animarum
maximè miserabilem. Sed paulatim et gradatim sidus*

illud Bethlehemiticum tam lucidè lucet, ut surgant etiam oves somniculosissimae...

Ant.
8.

N O-lí-te timé-re: * quinta e-nim di- e vé-ni- et ad
vos Dóminus noster.

Nolite timere omicron novissimum metallagma vîri covidiani omniumque innocentissimum! Ibi unde vênit, id est in Africâ Australi, hoc vîrus semper mutabile a vix quoquam timetur: medici ibi dicunt eodem nil effici nisi perfrictiunculam...

Sed quare tyranni coronarii nobis cottidie inculcant, quam horribile sit istud metallagma vîri covidiani novissimum? En nomina graeca istorum metallagmatum mirabilia! Dicatis mihi: Quemnam ordinem sequuntur? Nonne vos omnes bene scitis in ordine alphabeti graeci post delta sequi epsilon, et inter delta et omicron esse decem litteras alias? DELTA – EPSILON – ZETA – ETA – THETA – IOTA – KAPPA – LAMBDA – MY – NY – XI – OMICRON. Inter DELTA et OMICRON desunt 10 litterae a tyrannis coronariis neglectae.

Dicite mihi: quare metallagma vîrale delta sequens non dictum est epsilon, sed omicron? Mirum aenigma! Invito vos, cari sodales, ad anagramma quoddam explicandum, id est litterarum transpositionem quae in theodisco sermone appellatur “Schüttelrätzel”

(aenigma quassorium, ut Latinê dicamus). Legite duo litterarum graecarum nomina, quae a virologis modernis nuper demum adhibita sunt ad vîri covidiani famosa metallagmata denominanda:

DELTA - OMICRON

Nunc quatite litteras horum nominum, ut novum verbum confingatis!

DELTA + OMICRON → MEDIA CONTROL

Quid nunc? Istaec notio hōc verbo anglico denominata nonne aliquatenus cohaeret cum nuntiis coronariis, quibus genus humanum ex duobus ferê annis cottidie vexatur atque molestatur? Nonne cottidie nuntios coronarios audientes spectantes legentes animadvertimus, quantâ cum perseverantiâ diabolicâ Orwelliani cogitationum censores et custodes et supervisores curare non desinant, ne umquam timor Panicus morbi coronarii deminuatur, ne quid criticâ ratione nuntietur, ne quid insit mediis diurnariis, quod differat a dogmate suo sacrosancto; ut semper summâ cum industriâ zeloticâ illi "vultures pandemiae cadaverales" daemonizentur, qui audeant cogitare feliciter remoti a dogmate pandemiae horribilis et inevitabilis et fatiferae et aeternae; ut omnes cives Abderitani creduli credant optimum esse et maximê salutare se tamquam oves baceolas iuribus suis fundamentalibus privatos mansuros esse usque ad Kalendas Graecas, ut politici pastores se servent a pandemiae putativae

terroribus. Verumne istis qui credit beatus fiet? Nonne Iesus apud Iohannem (8,32) dicit "Veritas vos liberabit" et "Ego sum via et veritas et vita" (8,32)? In Apocalypsi (22,13) dicit: "Ego sum alpha et omega, primus et novissimus, principium et finis". Nonne hodie si in terris versaretur, diceret nobis: "Nolite timere omicron! Nam ego sum ALPHA et OMEGA"? Nolite timere, pusillus grex! Tu ne cède malis, sed contra audentior ito!



Ergo – ut ait Apuleius Madaurensis in Asini Aurei prooemio – »Lector (Lectrixve) intende: laetaberis«.
Pancraticè vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Lunae, 27. m.Dec. a.2021**



Insigne heraldicum Itali Armando Trasarti (*1948)

Episcopi regionis Fano-Fossombrone-Cagli-Pergola.

VULGATA Iohannes 6,15-20 Iesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem sero factum est descenderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nasem venerunt trans mare in Capharnaum. et tenebrae iam factae erant et non venerat ad eos Iesus. Mare autem vento magno flante exurgebat. cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta vident Iesum ambulans super mare et proximum navi fieri et timuerunt. ille autem dicit eis: **EGO SUM nolite timere!** Voluerunt ergo accipere eum in navi et statim fuit navis ad terram quam ibant.

CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA



Pfarrkirche Grefrath: Herbergssuche – Foto Bernhard Borsbach

Zum 24. Dezember, dem **Vigiltag von Weihnachten:**

2021* ho**DI**e s**CI**et**IS** q**UIA** Ma**NE** Ve**NI**et to**T**IS no**BI**S LI**BE**rans In **C**arne nostrae
 nat**V**rae sa**L**vator **I**es**V**s Chr**I**st**V**s fi**L**I**V**s Vn**I**gen**I**t**V**s Patr**I**s aetern**I** et p**LA**e **V**ir**G**In**I**s!
 – Heute werdet ihr es wissen, dass in der Morgenfrühe zu unser aller Erlösung in der
 Natur unseres Fleisches als Erlöser Jesus Christus, der eingeborene Sohn des ewigen
 Vaters und der frommen Jungfrau, kommen wird! – Nach der Antiphon der Terz des
 alten Breviers am Vigiltag von Weihnachten: „Hodie scietis quia veniet Dominus, et
 mane videbitis gloriam eius“.

***Eine weitere Etappe von Fest zu Fest auf dem Chronogrammatischen Jahresweg
 2021 – herzlichst, Pe. Herbert Douteil, CSSp.***

Zum 13. Dezember, **dem 52. Jahrestag der Priesterweihe von Papst Franciscus:**

2021* Iorge MarIo bergogLIo nVnC papa InSIgnIS FranCISCVs LII annIS ante saCerDos fIt. – Jorge Maria Bergoglio, jetzt ausgezeichnete(r) Papst Franciscus, wird vor 52 Jahren Priester.

Zu den Adventstagen vom 17. bis 23. Dezember, an denen die O-Antiphonen gesungen werden:

2021* o pIa SapIentIa, o ADonaI fortIS, o RaDIX Iesse, o CLaVIs, o LVX orIentIS, o ReX orbIS, o LegIfer noster, saLVa nos In braChIo eXtento, noLI nobIS tarDare. – O fromme Weisheit, o starker Gott, o Wurzel Jesse, o Schlüssel, o aufgehendes Licht, o König des Weltalls, o unser Gesetzgeber, rette uns mit ausgestrecktem Arm, zögere uns nicht! – Nach den O-Antiphonen, die im Brevier vom 17. bis 23. Dezember gesungen werden.



Maria der Erwartung, I

Österreichischer Bildschnitzer (1975 - 1985), aus dem Nachlass von Kardinal Meisner,
heute Missionsmuseum Cruzeiro do Sul

Zum 17. Dezember, **dem Geburtstag von Papst Franziskus**, anspielend an seine Enzyklika „*laudato si*“:

2021* traDIta et ConserVata pLVraLItatIs VItae aqVae, aerIs, In terrIs VIRTValIs InterIorIs et eXterIorIs VnIVersI orbIs sIne sapIentIa et abVsV VsVs InfInItI CeLerIorIs progressVs fVtVrIs generatIonIbVs nostrIs traDenDa sInt. – Das, was in der Vielfalt von virtuellem, innerem und äußerem Leben in Wasser, Luft und in den Bodenschätzen des gesamten Erdkreises überkommen und erhalten ist, möge ohne Weisheit und Missbrauch eines Gebrauches eines unendlichen, überstürzten Fortschrittes voller Weisheit unseren zukünftigen Generationen weiter gegeben werden! – *Ich fürchte, hier ist ein abstoßendes Beispiel für ein gedrechseltes Chronogramm entstanden, bei dem ich versuchte, möglichst viel in den beschränkten Rahmen des Chronogramms zu packen und so ein kleiner Traktat entstanden ist, den man nur mühsam verstehen kann und dazu die Übersetzung benötigt.*



2021* eXoro In pIetate: o papa FranCISce, sI et taCVIsses et LoCVtVs esses, DVX noster VerVs et In sapIentIa et VerItate IesV MansIsses. – Ich flehe inständig: Papst Franciscus, wenn Du sowohl geschwiegen als auch geredet hättest, wärest du unser wahrhaftiger und Führer in der Weisheit und Wahrheit Jesus Christi geblieben. –

Gemeint sind im ersten Teil einige häufig missverständlichen spontanen Äußerungen des Hl. Vaters, ausdrücklich nicht seine Enzykliken oder die morgendlichen Ansprachen in der Kapelle von St. Martha, auf der anderen Seite auch sein schwer verständliches Schweigen zu berechtigten Anfragen bzgl. der Dubia und gewisser widersprüchlichen Äußerungen von Bischofskonferenzen, wo er unbedingt ein klärendes Wort hätte sagen müssen!

HAEC CHRONOGRAMMATA NATALICIA CONFECIT

P. HERBERTUS DOUTEIL BRASILIENSIS

FABELLA NATALICIA

De arbore nataliciâ omnium primâ



Theodiscê scripsit Hermann Löns, in Latinum convertit Leo Latinus

Vir Natalicius ibat per silvam. Stomachabatur. Quod animadvertit eius albus canis Pomeranianus, qui alioquin semper laetê latrans ante Virum Natalicium currebat, sed nunc caudâ remulsâ¹ post dominum suum repebat. Îdem autem non iam rectê laetabatur de operâ suâ. Quae erat quotannis eadem. Parum vivida erat. Crepundia et esculenta, istaec si sôla erant iterum iterumque, et nihil aliud, parum placebant. Gaudebant quidem infantes de his, sed Vir Natalicius cupiebat illos laetitiâ commotos quiritare et iubilare et cantare. Hoc autem illi non faciebant nisi rarissimê.

Per totum mensem Vir Natalicius iam muginatus erat, quidnam novi invenire posset, ut in mundum infantulorum inferret verum gaudium natalicium, gaudium natalicium, cuius etiam adulti participes essent. Non

¹ cfr Egidius FORCELLINI, tom.IV, s.v. REMULCEO: „mulces, mulsi, mulsum, mulcere, a.2. (re et mulceo). Particip. Remulcens et Remulsus. I. - ...1). Proprie. Virg.11.Aen.812. De lupo. Conscius audacis facti caudamque remulcens Subjecit pavitantem utero, h.e. retrahens inter crura: nam mulceo est mulcendo inflectere: ita Hesiod. "Εργ. v.512. Θῆρες δὲ φύσισσοις, οὐράς δ' ὑπὸ μέζε' ἔθεντο. Solent autem lupi, sicut et canes et leones etc., quum irati sunt, caudam intendere, et erigere; quum resedit ira et successit pavor, remittere ac reflectere..."

fieri potuit, ut thesauros donaret, nam ei clarê praescriptum erat, quantum pecuniae liceret erogare.

Itaque gradiebatur per silvam nivosam, usque dum adveniret viam cruciariam. Ibidem voluit convenire Christum Puerulum. Nam cum eo solebat agere de donis distribuendis.

Iam e longinquo vidit Christum Puerulum adesse. Nam ibi erat lux lucida. Christus Puerulus longâ et albâ vesticulâ pelliceâ indutus Vetulum aspexit ore renidenti. Circa eum autem iacebant magni fasces trifolii siccati et acervi fabarum¹ et rami tremulorum² salicumque, quibus cervi et capreae et lepores famelici fruebantur. Ipsis apris aderant nonnulla: castaneae et glandes et rapae.

Petaso tricuspidato³ deposito Vir Natalicius Christum puerulum salutavit. Îdem: »Heus Vetule« inquit »ut vales? Videris esse animo malo«. His dictis bracchium Vetuli bracchio complexus coepit cum eo ambulare. Post eos incessit caniculus Pomeranianus, sed nunc caudâ audacter erectâ non iam aspectum habuit tristiculum. Tum Vir Natalicius: »Ita est«, inquit, »non iam delector istâ re totâ. Utrum subsit quaedam senilitas an alia res quaecumque, nescio. Nullum iam verum efficiunt gaudium liba mellita et mâla et nuces. His comesis festum est finitum. Necesse est invenire aliquid novi, aliquid, quod neque comeditur neque luditur, sed quo cantant et rident et exhilarantur et senes et iuvenes.«

Christus Puerulus adnuens vultu cogitabundo: »Rectê iudicas« inquit, »Vetule, ego quoque istud iam animadverti. De quo etiam deliberavi, sed non ita facile est factu«. Vir Natalicius mussitans: »Istâ re« inquit, »valdê vexor. Mihi senescenti atque obrutescenti caput iam dolet muginando, sed nihil in mentem mihi venit aptum atque utile. Si res hîc modo pergit fieri, prorsus obdormiscit et festum natalicium fiet tale quale omnia cetera, quo homines nihil facient nisi bibent et comedent et pigritabuntur«.

Sic deliberantes ambo ambulabant per candidam silvam hiemalem, Vir Natalicius vultu moroso, Christus Puerulus cogitabundo. Silva silebat, nullus ramus commotus est, ni qua ulula ramo insidebat, ut aliquantum

¹ **acervî fabârum**: orig. *Bohnenstiegen*.

² **tremulus**, -ī f. orig. *Espe*.

³ **petasus tricuspidâtus** orig. *Wolkenschieber (Dreispitz)*

nivis decideret substrepens. Itaque ambo Pomeraniano sequente ex altis arboribus advenerunt veterem locum collucatum, in quo stabant abietes maiores et minores. Qui fuit aspectu pulchro. Luna lucidê clarêque splendebat, omnes stellae lucebant, nix nitebat argento similis, necnon abietes stabant tantâ nigredine tantoque candore, ut aspectum praeberent maximê magnificentum. Quaedam abies quinque pedes alta, quae sôla stabat in parte anticâ, fuit omnium lepidissima. Eadem erat staturâ probâ et procerâ, laciniâ nivali ornata erat omni in ramo, et stiriolis, quae e summis ramis pendebant, et in lumine lunae numquam desinebat coruscare et scintillare.

Christus autem Puerulus latere Vetuli fodicato abietem monstrans: »Nonne« inquit, »haec est bellissima?«

Tum Vetulus: »Est« inquit »sed quid hoc ad me?«

At Christus Puerulus: »Da mihi« inquit, »nonnulla mâla. Aliquid mihi in mentem incidit«.

Vir Natalicius autem obstupefactus est, nam animo fingere non potuit Christum Puerulum in tanto frigore esurire mâla praegelida. Vetulus adhuc secum habuit veterem lagunculam vini adusti, sed istud noluit offerre Christo Puerulo. Taeniâ gestatoriâ solutâ corbem suum ingentem nivis imposuit, eundemque perscrutatus exêmit nonnulla mâla satis pulchra. Deinde manum sacco ingressit, cultrum exêmit, Christo Puerulo obtulit.

Tum Christus puerulus: »En vide« inquit, »quam callidus sis. Nunc disseca aliquantum tomicis¹ in partes duos digitos longas, et fac mihi parvos paxillos²«. Vetulo haec omnia visa sunt mira et iocosa, sed nihil dicens fecit a Christo Puerulo mandata. Paxillis partibusque tomicum finalibus confectis Christus Puerulus mâlum sumpsit, paxillum impegit, filum alligavit idemque e ramo suspendit. »Viden?« inquit, »Primum mâlum suspensum est. Nunc etiam alia sunt suspendenda et tu adiuvare potes, sed cave, ne quid nivis decidat!« Vetulus adjuvit, quamvis nesciret, quare. Sed tandem delectatus est, et cum tota abietula plena esset mâlorum suspensorum, quae praedita erant buccis ruberrimis, Vir Natalicius per quinque gradûs regressus ridens: »En aspice« inquit, »quam bellulus aspectus! At quonam fine hoc fecimus?«

¹ **tōmix**, -icis m. orig. *Bindfaden*.

² **paxillus**, -ī m. orig. *Pflöckchen*.

Tum Christus Puerulus lepidê subridens: »Num« inquit, »necesse est omnia quae facimus fieri certo fine? Attende, res fiet etiam pulchrior. Nunc cedo nuces!«

Vetulus corbem perscrutatus iuglandes exemptas dedit Christo Puerulo. Qui omni iuglandi impegit paxillum, filum annectit, semper nucem affricabat ad aureum latus alarum suarum superius, ut nux fieret aurea, et proximam affricabat ad argenteum latus alarum inferius, deinde habuit nucem argenteam, quam inter mâla suspendit.

Deinde rogavit: »Quid nunc dicis, vetule? Nonne hae nuces sunt bellissimae?«

Is: »Sunt« inquit, »tamen adhuc nescio, quid hoc sibi velit«.

Tum Christus Puerulus: »Veni huc!« inquit »Habesne candelas?«

Vir Natalicius autem: »Candelas non habeo, sed baculum cereum¹!«

Deinde Christus Puerulus: »Hoc« inquit, »est bellulum«, baculum cereum sumpsit, dissecuit, primo partem torsit circa germen arbusculae medium aliasque partes circa fines ramorum, in rectas flexit et dixit: »Nonne habes ignitabulum?«

Tum Vetulus: »Certê« dixit, exêmit silicem, chalybem, necnon pyxidem fomitis, ignem excitavit lapide percusso, curavit, ut fomes in pyxide glisceret eodemque nonnulla ramenta sulphurata inflammarentur. Quae dedit Christo Puerulo. Qui ramento sulphurato lucidê ardenti primum accendit candelam summam, deinde proximam dextrâ parte positam, tum adversam. Itaque arbusculam circumiens curavit, ut una candela post alteram arderet.

Ecce arbuscula stetit in nive candidâ; ex ramis partim opacis, partim niveolis renidebant buccae mâlorum ruberrimae, nuces aureae et argenteae micabant atque coruscabant, cêreae candelae flavae ardebant sollemniter. Christus Puerulus autem toto vultu rosaceo ridebat manibusque plaudebat, vetus Vir Natalicius non iam erat vultu moroso, parvus ille Pomeranianus huc illuc prosiliebat et latrabat.

Cum candelae ardendo paululo deminutae essent, Christus Puerulus âlis suis aureo-argenteis ventum fecit, ut exstinguerentur. Îdem Viro Natalicio

¹ *baculus cêreus*: orig. *Wachstock*.

dixit, ut arbusculam serrâ cautê desecaret. Hôc facto ambo de monte descenderunt arbusculum secum ferentes.

Cum viculum accederent, iam omnes dormiebant. Ambo ad domunculam minimam constiterunt. Christus Puerulus ianuâ submissê apertâ intravit; Vir Natalicius secutus est. In conclavi stabat scabillum tripes laminâ perforatâ instructum. Quod mensae imposuerunt, foramini laminae infixerunt arborem. Nunc Vir Natalicius sub arbore posuit aliquot res pulchras, velut crepundia, placentam, mâla, nuces; deinde ambo domunculam reliquerunt tam submissê quam intraverant.

Postridie mâne vir domunculae possessor expergefactus arborem cum conspiceret multicolorem, stupefactus nescivit quid diceret. Cum autem videret ex poste ianae, qui âlis Christi Pueruli essent perstrictus, pendêre taenias aureas argenteasque fulgentissimas, totam rem perspexit. Candelis in arbusculâ accensis expergefecit uxorem liberosque. O quanto nunc gaudio commoti sunt parvuli! Magis gavisus est quam ullo die natalicio priore. Nullus parvulus respexit crepundia, placentam, mâla, omnes nihil viderunt nisi arborem candeliferam¹! Qui manibus porrectis arborem circumsaltavere, omnia quae noverant cantica natalicia cantavere, necnon ipse infantulus minimus, qui adhuc bracchiis gerebatur, cucurriebat² tam vehementer quam cucurrere potuit.

Cum diluxisset, amici atque affines viri fodinarii venerunt, arbusculam aspectaverunt, de eâdem gavisus statim in silvam ierunt, ut suis liberis etiam afferrent arbusculam nataliciam. His conspectis alii etiam homines illos imitantes abietem sibi allatam exornaverunt, unus ita, alter aliter, sed omnes ex eâdem suspenderunt candelas et mâla et nuces. Cum advesperasceret, in toto viculo et in omni domunculâ statuta erat arbor natalicia, ubique audiebantur cantica natalicia necnon parvulorum risus atque iubilatio.

Ex illo viculo arbor natalicia per totam Germaniam migravit et ex Germaniâ per totum orbem terrarum. Cum autem prima arbor natalicia

¹ cfr ThLL 03,233,79-81: **candêlifer**, -a, -um a candela et ferre. *cognomen Iunonis Lucinae* (cf. Aust, PW. III 1464): TERT. nat. 2,11 -a, quoniam ad candelae lumina pariebant.

² orig. *krâhen*. cfr ThLL 04,1284,74-76: **cûcurrîo**, -îre [vox onomatopoetica, cf. serb. kukurijèkati ‚cucurrîre‘ Th.] SVET.frg.p.251 gallorum est -ire vel cantare. CARM.dePhilom.anth.762,25 -ire solet gallus.

mâne illuminata sit, nonnullis in regionibus dona natalicia parvuli dona natalicia accipiunt tempore matutino.

FABELLAM NATALICIAM

CUIUS TITULUS THEODISCUS EST

Der allererste Weihnachtsbaum

SCRIPSIT

HERMANN LÖNS

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS.

SPRINGERLE

SIVE

CRUSTULA LEVATORIA

<https://de.wikipedia.org/wiki/Springerle>



**Ecce crustulum levatorium, cuius superficies est candore genuino:
carpentum nuptiale (genus artis figurativae conchatum¹)**

Springerle (quae in Helvetiâ appellantur *paniculi anisati*², in Franconiâ *saccharum ovarium*³) sunt crustula dierum festorum more tradita, quae conficiuntur pastâ spumae ovorum aniso conditâ. Eadem crustula Latinê appellemus **crustula levatoria**, quia eorum nomen originale spectare videtur ad pastae in furno levationem⁴. Talia crustula diebus festis et

¹ **genus conchâtum** artis figurativae est i.q. *Rokoko*.

² orig. *Anisbrötli*.

³ orig. *Eierzucker*.

⁴ **crustula levâtoria**, orig. *Springerle*, secundum etymon in symbolâ Wikipedianâ allatum: „Der Name, der süddeutsche Diminutiv von Springer, kommt entweder von einem beliebten Motiv, einem Reiter (Springer) oder, *was sehr viel wahrscheinlicher ist, vom Aufspringen (Aufgehen) beim Backen*. Beim Backen wächst der Teig auf die doppelte Höhe, dabei bildet sich am unteren Rand ein „Fuß“. - cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/LEVAMENTUM1>: „**1. LEVAMENTUM**, Gall. *Levain*. Papias : Fermentum, *Levamentum*, a fervore, dictum, etc.“ - op.mem.: „**LEVANUM**, Fermentum, ex Gall. *Levain*, quod farina fermento imbuta intumescat, ac *levetur*. Occurrit in Fleta lib. 2. cap. 10. Vide [Levamentum 1](#).“ - op.mem.: „**LEVATUM**, Fermentum, Gall. *Levain*. Stat. Vercell. lib. 3. pag. 72. v°: Teneatur fornarius facere et habere *Levatum* pulchrum et mundum; videlicet ad panem frumenti, *Levatum* puri frumenti, et ad panem siliginis, purâ siliginis.“ - op.mem.: [LEVATORIUS](#), *Leveur*, in Glossis Lat. Gall. Sangerman.

ecclesiasticis (paschalibus, pentecostalibus, nataliciis) et familiaribus (in nuptiis et baptismatibus) imagunculis aptis decorisque impressis furno coquebantur. Quae ita ut *Spekulatius* referuntur in numerum *crustulorum imaginiferorum*. Crustula levatoria nōta sunt in Germaniâ australi et Austriae partibus et Helvetiâ et Alsatiâ et Hungariâ. In praeceptis coquendi Lotharingicis, quae spectant ad *pain d'anice*, inveniuntur eadem indicia additamentorum îdemque modus parandi, sed non adhibentur **formellae prostypae**¹. Nomen, quod est diminutivum substantivi theodisci, q.e. *Springer*, aut ducitur ab imagunculâ formellae prostypae gratissimâ, quae vocabatur *Springer*, i.e. eques, aut – quod est multo verisimilius – a motione pastae, quae fit, si furno coquitur. Nam eadem videtur in furno prosilire (*aufspringen*), i.e. crescit in altitudinem duplicem, et in margine inferiore efformat *pediculum* (*Fuß* sive *Füßle*, qualis dicitur).

CRUSTULA LEVATORIA SIC FACITO. Ex ovis, saccharo pulvereo, farinâ parato pastam. Per nonnullas horas frigidê condito. Deinde pastam evoluto in laminam crassitudinis circiter dimidii aut unius centimetri.

Nonnullis in praeceptis crustula levatoria coquendi indicatur etiam aliquid *salis cornûs cervi*² addendum. Imprimito pastae evolutae formellas prostypas, ut formentur crustula imaginifera. Exsecato pastam crustulorum, imposito laminae furnariae butyro oblitae et aniso inspersae, curato ut minimum per 12, maximum per 24 horas siccescant, usque dum coquantur. Imago pastae impressa hōc tempore firmatur neque iam coquendo mutatur.



Crustulum levatorium. Respice pediculum!

¹ **fōrmella prostypa**, orig. *das Model*. 1. cfr ThLL 06.1,1090, 10 s.v. **formella**: APIC.9,441 in formella piscem formabis (v. p.1084-44sqq.). - cfr ThLL 06.1,1084,43-47, s.v. **forma**: *B exemplar, ad cuius similitudinem res aliqua formatur: 1 proprie: a i.q. exemplar alicuius rei cavatum, in quod materies ad rem fingendam infunditur sive imprimitur (v. et p.1078,59 sqq.)*: VARRO rust.1,14,4 fabrile saepimentum ...ex terra et lapillis compositis in -is...

²cfr Arnold e.al.: Hagers Handbuch der Pharmaceutischen Praxis eqs., 1. Band, Berlin/Heidelberg 1900, p.267, IV.: „Ammonium carbonicum pyro-oleosum... Sal volatile Cornus Cervi. **Sal cornus cervi**. Brenzlich-kohlensaures Ammon. Brenzlich-öliges Ammonkarbonat. Rohes **Hirschhornsalz**.“



**Suebica formella ectypa crustuli levatoria.
Carpentum nuptiale (genus conchatum),
pars anterior**



Pars posterior

Curato, ut umidum sit latus figmenti pasticci¹, ne crustula in latere superiore dirumpantur et imaguncula destruat. Crustula levatoria temperaturâ minimum 130, maximum 140 graduum Celsianorum in furno coquuntur. Caloris furni gratiâ figmenta pasticia crescunt in altitudinem ferê duplicem, et efformant pediculos. Haec crustula non mollescunt nisi

¹ figmentum pasticium orig. *Teigling*.

per duas aut tres septimanas condita. Suadetur, ut crustula levatoria usque dum comedantur, condantur in pyxide metallicâ.

Historica. Quando ratio crustula levatoria coquendi inventa sit, ignotum est. Minimum ex aetate mediâ iam exstant formellae prostypae lapideae, metallicae, ceramicae, lignae, quibus crustula imaginibus ornabantur. Exorta est confectio talium crustulorum in *pistrinis hostiarum* ecclesiasticis. Primae crustulorum levatoriorum imagunculae fuerunt originis ecclesiasticae. Quae spectaverunt ad historiolas biblicas aut symbola christiana. Pergratae erant imagunculae nataliciae et paschales. Saeculis 17. et 18. magis magisque respiciuntur imagunculae saeculares. Primo monstrantur heraldica. A saec.17. usque ad 19. themata felicitatis, amoris, fertilitatis multum valuerunt. In vetustis formellis prostypis nobis relictæ sunt imagines Dominarum eleganter vestitarum, equitum ornatissimorum, carpentorum amoris, symbola fertilitatis amorisque. Crustula levatoria imagunculis aptis et decôrîs ornata donabantur in sponsalia, nuptias, ad merces praedicandas.

Formellae prostypae. Materia formellarum lignearum usitatissima fuit lignum arboris piri. Quod est durum, vix assulatim abscedit, neque eius pili umescentes eriguntur. Hac de causâ in crustulis apparent lineamenta vel subtilissima. *Sculptura formellarum*¹ per longum tempus curabatur a cuppedinariis. Formellae crustulorum levatoriorum, quia non fabricabantur ab artificibus professionalibus, spectabant ad artem popularem. Itaque raro nominibus artificum signabantur. Formellae hodiernae plerumque fabricantur *fresaculis*² aut ligno artificiali infunduntur.

Expositiones. Ex nonnullis annis in museo *Castelluli Fribergensis ad Nicarum siti* inter mensem Novembrem et novum annum expositio fit, quae spectat ad crustula levatoria. In oppidulo *Alsatie inferioris*, cui nomen est Francogallicum *La Petite-Pierre*, theodiscum *Lützelstein*, est museum crustulorum levatoriorum. *Strateburgo in urbe Pennsylvaniae* exstat aedificium nomine "*Springerle-House*" (quod prius fuit cafeolum, interim ibi nihil fit nisi mercatura crustulorum interretialis), cui inest collectio formellarum, quae olim adhibitae sunt ad crustula levatoria

¹*scalptūra fōrmellārum* orig. *das Modelstechen*.

²**frēsāculum*, -ī n. orig. *die Fräse*. cfr [1. DAUZAT p.339, s.v. 2. fraise de veau ...fraiser, vx, dépouiller de son enveloppe, qui représente le **lat. vulg. *frēsare, de (faba) frēsa, (fève) moulue (frēsa, part. passé fém. de frendere, broyer)**; fraiser la chaux (1416,G.) se rattache au sens «broyer».]

conficienda. In *museo culturae panariae*, i.e. pars *Stutgardensis Musei Terrae foederalis*, quod inest *Castello Vetusto*, et in *Museo Culturae Cottidiana*e, quod invenitur in oppido *Waldenbuch*, in expositionibus et in tabernis musei est collectio formellarum visu digna.



**SYMBOLAM
WIKIPEDIANAM
DE CRUSTULIS LEVATORIIS
SCRIPTAM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

GLOSSAE

ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (II)

achondrītēs, -ae m.

18

Achondrit – achondrite – achondrite – acondrito - acondrite

Haec notio spectat ad mineralogiam et astronomiam. **Achondritae** (graecê $\acute{\alpha}$, i.e. ‚in-‘, ‚sine‘, et $\chi\acute{o}\nu\delta\rho\varsigma$, ‚granum, glaebola‘) sunt meteoritae lapidei, qui contra ac **chondritae** multo frequentiores, nullos aut paucos tantum *chondros* continent. - **Chondri** sive *chondruli* sunt globuli silicatis (silicas, atis est sal acidi silicici), qui massae granorum subtili sunt impositi. Chondri iam a.1802 a *Iacobo Ludovico de Bournon* (1751-1825) descripti appellati sunt *globules curieux*. Nomen *chondrorum* a.1869 a *Gustavo Rose* in *Museo Mineralogico Universitatis Humboldtianae* introductum est. - Secundum proportiones elementorum et isotopiorum achondritae distribuuntur in varios greges. Inter se distinguuntur achondritae *primitivi*, qui a chondritis non differunt nisi texturâ et continere possunt reliquias chondrorum, et achondritae *differentiati*, qui continent minus ferri et elementorum in ferro solubilium. Achondritae expulsi sunt ex crustâ aut amiculo maiorum corporum maternorum, quae orientia in nucleo ferreo et amiculo sunt differentiata. Verisimile est tres greges achondritarum, qui unâ complectuntur duas ferê partes tertias, exortos esse in Vestâ asteroide, nonnulli ex Lunâ et Marte planetâ, alii usque nunc nondum potuerunt attribui. Primus omnium investigatorum *Gustavus Rose* Berolinensis demonstravit achondritas esse originis magmaticae. Quem supra iam commemoravimus.

acicula capitâta

568

Stecknadel – pin – épingle – alfiler – spillo

Acicula capitata praecipuê adhibetur ad duo textilia inter se affigenda, antequam consuuntur. Quae acicula in eâ parte extremâ, quâ digitis tenetur, instructa est capite, quo facilius apprehendatur et impediatur, ne per textile perlabatur. Praeter alios usûs aciculae capitatae e.g. adhibentur ad scidulas tabulae affigendas. - Aciculae capitatae solent confectae esse chalybe obduratâ, hodie plerumque sunt metallo nicolo obductae, quo contra ferruginem protegantur. Aciculae aluminio aut ferro molli confectae facile deformantur, sed forcipe dissectoriâ facile possunt curtari. - Sunt etiam acûs capitatae plus 5 centimetra longae. Aciculae capitatae perquam subtiles, 2 tantum centimetra breves, adhibentur ad camisiam virilem super chartam spissam extendendam, antequam eadem camisia inditur sacco pellucido, qui est involucrum venditorium. - Caput aciculae coaxiale potest confici ex metallo, quod est formâ lenticulae ideoque patiens est ictûs malleoli. Sed caput potest etiam confici ex sphaerulâ vitreâ, quae nullum ictum durum patitur. Fabricantur quoque capita materiâ artificiali affusâ in formam globuli aut guttae redactâ. -

acicula carnea

276

Filetscheibe – aiguillette – aiguillette – cuadril – aiguillette

Aciculae carnae appellantur laciniae carnis longae et subtiles ex pectore volatiliu domesticorum aut ferorum exsectae. *Martinus Walker* coquus e.g. commendat praeceptum coquendi, quo tales laciniae carnae condiantur: **Aciculae anatinae melle et sinape conditae.**

*acidificatiō lacuum

98

Seenversauerung – lake acidification – acidification des lacs – acidificación de los lagos - acidificazione dei laghi

Lacus dicitur acidus vel leviter acidus esse, si eius pH (potestas hydrogenii) est infra punctum neutralitatis (< 7). Effectûs biologici graviore apparent, si pH est infra 5,5 (pH < 5.5). Lacus acidificatur causis aut *naturalibus* aut ab homine effectis (*anthropogenicis*). Lacûs *naturaliter acidi* siti sunt prope *uligines turfneas* in regionibus septentrionalibus (praecipuê in Russiâ, Canadâ, Civitatibus Unitis, Scandinaviâ). Uligines turfneae emittunt acida

organica, quibus lacûs acescant. Multi lacûs huius generis a piscibus vacant. - Lacûs *ab homine* acidificantur e.g. pluviâ acidâ, quae efficitur gasis, praesertim sulphureis, quae exorta sunt ex causimis fossilibus (carbone, petroleo) comburendis. Gasa, quae vim maximam habent ad lacûs acidificandos, sunt *sulphur dioxydatum* (SO₂), quod aquâ solutum fit *acidum sulphuricum* (H₂SO₄) et *oxyda nitrogenii*, ex quibus aquâ solutis oritur *acidum nitricum* (HNO₃), et *chlorida*, quae aquâ soluta fiunt *acidum hydrochloricum* (HCl). Hae substantiae formâ gasorum emissae transportari possunt per longas distantias, usque dum attingunt terram aut siccae aut umidae.

acidum *acetylo-salicylicum

915

Acetyl-Salicylsäure – acetylsalicylic acid – acide acétylsalicyclique – ácido acetilsalicílico – acido acetilsalicílico

cfr Gerhard Ahrens, Medizinisches und naturwissenschaftliches Latein, Leipzig, 1.ed., a.1988,p.178, §550a: “Acidum acetyl(o)salicylicum Acetylsalicylsäure”

i.q. → *aspirinum* (*hoc est nomen commerciale!*)

acidum nitricum

98

Salpetersäure – nitric acid – acide nitrique – acido nitrico – acido nítrico

Acidum nitricum (HNO₃), est nitrogenii acidum oxygenicum notissimum et stabilissimum. Quod acidum ex anno 1908 in magnis officinis chemicis secundum *methodum Ostwaldianam* fabricatur ammoniaco catalyticè oxydando. Ammoniacum antea secundum *methodum Haber-Boschianam* fabricatur ex oxygenio aëris et hydrogenio. Sales acidi nitrici appellantur *nitrates*. Acidum nitricum est forte acidum anorganicum et refertur in numerum acidorum mineralicorum. Hoc acidum purum coloris expers est, odoris acriter pungentis. Idem adhibetur ad laetamina, pigmenta, materias displosivas fabricandas.

Historia. - In opere, c.t. *De inventione veritatis*, 12. saeculo scripto memoratur iam nono saeculo Arabem alchemistam *Geber* crudum acidum nitricum („*aquam dissolutivam*“) peperisse sale petrae (i.e. nitrate kalii) et vitriolo cyprio (CuSO₄·5H₂O) et alumine (KAl(SO₄)₂·12H₂O) siccè calefaciendis. Saeculo 13. *Albertus Magnus* traditur acidum nitricum adhibuisse (quod Latinè dicebatur *aqua fortis* aut *valens*, anglicè *strong water*), ut aurum ab argento discerneret. Sed fortasse etiam opusculum, in quo hoc refertur, (sicuti etiam alia) reverâ non est scriptum ab ipso Alberto, sed ei adscriptum est, ut maioris aestimaretur. Postea sal petrae calefiebat unâ cum vitriolo ferri (FeSO₄·7H₂O), quo plus acidi nitrici acciperetur temperaturâ inferiore. - *Iohannes Rudolphus Glauber* medio saeculo 17. purum peperit acidum nitricum (quod appellavit *spiritum nitri*) eo quod salem petrae mutavit et destillavit acido sulphurico; quâ methodo etiam chemici hodierni adhuc utuntur. Medio saeculo 18. *Antonius Laurentius Lavoisier* cognovit acido nitrico inesse elementa chemica *nitrogenium* et *oxygenium*. Compositionem autem huius coniunctionis chemicae accuratè analyzavit *Henricus Cavendish*; eidem etiam id contigit, ut deoneratione electricâ nitrogenio aëris adhibito eandem artificialiter componeret.

At fabricatio industrialis ineunte demum saeculo 19. incohata est, quo chemici in promptu habuerunt satis magnas copias acidi sulphurici sat vilis et salis petrae Chilianum. *Christianus Birkeland* et *Samuel Eyde* invenerunt methodum acidi nitrici fabricandi eo, quod aërem in arcu lucis combusserunt; sed haec methodus non est satis lucrosa, nisi adhibetur in terrâ, ubi fluentum electricum est satis vile. A.1838 *Carolus Fridericus Kuhlmann* Francogallus invênit methodum ammoniaci platino catalyticè oxydandi. Ante autem synthesin ammoniaci a *Friderico Haber* et *Carolo Bosch* inventam (a.1908) ammoniacum remansit carius quam sal petrae Chilianum, i.e. nitras kalii. Saeculo 20. ineunte *Vilelmus Ostwald* rationem acidi nitrici ex ammoniaco fabricandi usque ad maturitatem industrialem excoluit. Oxydatione ammoniaci a Kuhlmannio inventâ, cum sit vilissima, hodie omnes ceterae methodi fabricandi sunt obsoletae.

Qualitates. - Acidum nitricum purissimum coloris est expers. Acidum nitricum concentratum facile dissociatur (praesertim lucis effectum) et propter nitrogenium dioxydatum in se solutum (NO₂) saepe est coloris flaveoli vel rubeoli. Purum acidum nitricum, quod continet oxydum nitrogenii liberum, appellatur *acidum nitricum fumans*. Quod continet plus 90% HNO₃, fortiter oxydat et potest inflammare nonnullas substantias facile inflammabiles; itaque acidum nitricum, si habet concentrationem minimum 70% (septuaginta partium pro centum), dicitur incendium fovere. Acidum nitricum, quod nitrogenio dioxydato flavum est factum, parvâ copiâ ureae solutae sive potius nitratis ureae potest decolorari. Acidum nitricum est et forte instrumentum oxydandi et forte acidum. Acidum nitricum reagit cum plerisque metallis ita, ut orientur nitrates aquâ solubiles, exceptis metallis nobilibus, quae sunt aurum, platinum, iridium. Etiam aluminium, titanum, zirconium, hafnium, niobium, tantalum, wolframium *passivando* resistunt acido nitrico. Praeterea ferrum *passivatione* resistit acido nitrico frigido, chromium etiam fervido ita, ut in metallo oriatur stratum oxydi firmè adhaerens et impermeabile. **Passivatio.** Talis dicitur in arte technicâ superficierum ortus spontaneus aut consulto effectus strati protectorii non-metallici in materiâ metallicâ, quo corrosio oxygenica materiae impediatur aut fortiter retardetur. Si stratum protectorium continet *chromium*, haec actio dicitur *chromatio*. Notiones, q.s. *passivare* et *chromatate*, sermone technicorum cottidiano una ab alterâ non distinguuntur. Cum acido nitrico aurum poterat seungi ab argento, idem acidum prius appellabatur *Scheidewasser* (aqua separativa). Mixturae autem *acidi nitrici* et *muriatici* sive *hydrochlorici* (quae nuncupabantur *aqua regia*) aut *acidum selenicum* reagent etiam cum auro et platino. Acido

nitrico *proteina*, quae continent *acida aminica aromatica*, velut *L-phenylalaninum* aut *L-tyrosinum*, anulo benzolico nitrificato flavescunt. Haec reactio *xanthoproteini* adhibetur ad proteina atque aromatica acida aminica indicanda.

Usus. - Acidum nitricum est una ex chemicae industriae quaestuosae substantiis fundamentalibus praestantissimis. Quod adhibetur:

- ad nitrates et laetamina fabricanda,
- formâ aquae separativae ad *quartationem*, i.e. ad aurum ab argento separandum (argentum reagit nitrate argenti solubili oriente),
- in *aquâ regiâ*, i.e. in mixturis cum acido muriatico factis, quibus aurum solvitur, necnon ad inaurationem et ad aurum indicandum,
- ad metalla maceranda et causticanda (ars technica graphica atque galvanica),
- ad metalla polienda,
- ad pinguamina mutanda (solubilitas aquaria) purgationis causâ,
- ad celluloidum et laccas nitricas zaponicasve,
- ut instrumentum oxydationis in ruchetarum materiis propulsivis fabricandis.
- ad substantias organicas nitrificandas in fabricandis pigmentis, medicamentis, substantiis disinfektivis, materiis displosivis, velut nitroglycerino aut gossypio pyrio.

Indicium. - Acidum nitricum in laboratorio ita ut nitrates potest indicari *probâ anulari* et *reagenti Lungeano* indicatur.

Indicia securitatis. - Acidum nitricum effectum causticum habet ad vias respiratorias et telas mucosas. Vaporibus acidi nitrici inhalatis effici potest *oedema pulmonum*. Hoc periculum praecipuê imminet, si acidum nitricum ferverit aut concentratur. Si est altae concentrationis, est forte instrumentum oxydandi et auget incendia. Acidum nitricum reagit cum plerisque metallis ita, ut oriatur nitrogenium dioxydatum. Oportet ut ii, qui operantes adhibent acidum nitricum, gerant perspicillum protectorium aut scutum faciei protegenda, aptas chirothecas protectorias, necnon amiculum operandi linteum conclusum. Si periculum imminet, ne in aliquo conclavi emittantur vapores acidi nitrici aut oxyda nitrogenii, oportet geratur instrumentum respirationis protegenda. Hac de causâ acidum nitricum non aptum est ad purgationes domesticae. Si quis in laboratorio utitur acido nitrico, oportet semper in deductorio aeris. Commonetur, ut lagoenae acido nitrico concentrato completae claudantur obturaculo teflonico.

acidum sulphuricum

98

Schwefelsäure – sulphuric acid – acide sulfurique – ácido sulfúrico – acido solforico

Acidum sulphuricum est sulphuris coniunctio chemica; eius formula summaria est H_2SO_4 . Quod est liquor coloris expers, oleosus, valdê viscosus, hygroscopicus. Acidum sulphuricum est unum ex acidis fortissimis et habet effectum causticum. Hoc acidum minerale efficit duas series salium, sulphates hydrogenii et sulphates, in quibus aliter ac in acido libero unum vel duo *cationta* supposita sunt in locum *protoniorum*.

Acidum sulphuricum est una ex chemicis substantiis omnium praestantissimis et saepissimê productis. A.1993 ubique terrarum circiter 135 miliones tonnarum acidi sulfurici sunt producti, a.2012 270 miliones. Quod acidum praecipuê adhibetur ad laetamina aliaque acida mineralia fabricanda, velut acidum hydrochloricum et phosphoricum. Plerumque adhibentur huius acidi solutiones variarum concentrationum aquosae.

Anhydridum acidi sulphurici est *sulphur trioxydatum* (SO_3). Acidum sulphuricum, in quo sulphur trioxydatum supra proportionem copiarum stoechiometricam solutum est, appellatur *acidum sulphuricum fumans* aut *oleum*, quia sulphur trioxydatum facile e solutione evolat et cum umore aeris efficit nebulam („*fumum*“), quae constat ex acido sulphurico diluto.

Historia. Acidum sulphuricum nomine *olei vitrioli* iam ex longo tempore nôtum est. Prima indicia inveniuntur saec.8. in textibus alchemistae *Dschâbir ibn Hayyân*. Post eum methodi acidi sulphurici fabricandi etiam commemorantur in scriptis alchemisticis *Alberti Magni* (1200-1280) et *Basilii Valentini* (circa a.1600). Iidem auctores describunt, quomodo ex sulphatibus naturalibus – velut *chalcantithâ* aut *alumine* – pari possit *oleum vitrioli*. Nomen olei vitrioli ducitur a nomine *vitrioli* obsoleto horum mineralium. Primus fons maiorum copiarum acidi sulphurici fuit *vitriolus ferri*. Ex saec.16. in Bohemiâ, Saxoniâ, ad Hercyniam secundum methodum vitrioli fabricabatur acidum sulphuricum. Secundum *Nordhusam* primum locum fabricandi productum nuncupatum est *vitriolus Nordhusanus*. *Iohannes Rudolfus Glauber* primus omnium ratione scientificâ acidum sulphuricum disquisivit. Qui curavit acidum sulphuricum ad *salem coctorium* (i.e. *natrium chloratum*) efficiendum, ut acciperet *acidum hydrochloricum* et *natrium sulphuricum*, quod secundum eum virum ipsum appellatus est *sal Glauberianus*.

Sed methodi, quibus sulphates adhibebantur, fuerunt valdê laboriosae atque sumptuosae. Ut acciperentur copiae maiores, saec.18. methodus est excogitata, quâ sulphur et sal petrae combusta sunt in vasibus vitreis. Quia vasa vitrea erant valdê fragilia, a.1746 a *Iohanne Roebuck* reactio primum effecta est in conceptaculis plumbeis. A.1778 *Winterthur* in urbe condita est prima Helvetiae officina chemica, in quâ praecipuê fabricatum est oleum vitrioli. Postquam a.1793 *Nicolaus Clément-Désormes* et *Carolus Bernardus Clément-Désormes* invenerunt aëre adhibendo copiam salis petrae posse insigniter deminui, *methodus camerae plumbeae* adhiberi potuit ratione macrotechnicâ. Hoc maximê valuit ad *methodum nitri*, i.e. *natrii carbonici fabricandi Leblancianam*, quae a.1789 a *Nicolao Leblanc* inventa et a.1791

primum adhibita est. Quae methodus compluribus melior facta est, velut eo quod a *Ioseph Ludovico Gay-Lussac* exulta est *ratio gasa nitrosa absorbendi*. Ita chemici adepti sunt productionem continuam. Maximum huius methodi incommodum in eo erat, quod non adepti sunt acidi concentrationem maiorem quam 78%; adhuc necesse erat solutiones concentratiores necnon oleum fabricare sumptuosâ destillatione vitrioli ferri. A.1870 demum eo quod *Rudolfus Messel* in Angliâ invênit methodum contactûs, contigit, ut acidum sulphuricum altioris concentrationis simplicius produceretur.

Acidum sulphuricum *liberum*, i.e. non in ionta oxonii et sulphatis dissociatum *in naturâ* rarissimê tantum invenitur. In atmosphaerâ oritur ex sulphure dioxydato, quod ipsum oritur substantiis sulphur continentibus combustis aut in montium ignivomorum eruptionibus. *Sulphur dioxydatum* radicalibus hydroxylicis et oxygenio oxydatur in *sulphur trioxydatum*. Cum aquâ tandem oritur liberum acidum sulphuricum. Alia subsidia oxydationis, quibus sulphur trioxydatum fieri potest, sunt *ozonium* aut *hydrogenium peroxydatum*. In pluvîâ acidâ acidum sulphuricum dilutum terram attingit. - Parva copia liberi acidi sulphurici invenitur etiam in nonnullis fontibus vulcaniis.

E contra ac acidum sulphuricum liberum eius sales, praesertim sulphates, in naturâ sunt multo frequentiores. Exstant multa mineralia sulphatica varia. In numero notissimorum et praestantissimorum sunt *gypsum* ($\text{CaSO}_4 \cdot 2\text{H}_2\text{O}$), *barytes* (BaSO_4), *chalcantithes* ($\text{CuSO}_4 \cdot 5\text{H}_2\text{O}$), *sal Glauberianus* ($\text{Na}_2\text{SO}_4 \cdot 10\text{H}_2\text{O}$).

Extra terram acidum sulphuricum invenitur in atmosphaerâ superiore planetae veneris. Quod oritur reactionibus photochemicis ex sulphure dioxydato et aquâ. Deinde fiunt guttulae, quae continent 80-85% acidi sulphurici. In stratis inferioribus acidum dissociatur propter altas temperaturas in sulphur dioxydatum et oxygenium et aquam, quae denuo possunt ascendentes mutari in acidum sulphuricum.

Fabricatio acidi sulphurici. Substantia basica acidi sulphurici fabricandi saepe est sulphur elementarium, quod magnis copiis (a.2007: 66miliones tonnarum) oritur in *gaso terreno* et *oleo crudo desulphurando* et secundum *processum Clausianum* construitur aut secundum *methodum Fraschianam* destruitur. Sulphur comburitur, ut pariatur *sulphur dioxydatum* ad acidi productionem propriam.

Reactio sulphuris et oxygenii. Alter fons, in quo magnae copiae sulphuris dioxydati oriuntur, est tractatio mineralium metallicorum sulphur continentium. Exempla talium mineralium sunt *sulfida*, ex quibus pariuntur *cuprum* et *zincum* et *plumbum*. Sulphur dioxydatum oritur ex mineralibus oxygenio aëris torrendis.

A.1999 in Europâ adhuc 3 miliones tonnarum *pyritae* (qui est *sulfidum ferri*) tosti sunt ad acidum sulphuricum pariendum. In Asiâ plus pyritae adhibetur ad acidum sulphuricum producendum.

Usus. - Acidum sulphuricum copiis permagnis adhibetur in variis partibus artis technicae. ***Ex quantitate huius acidi et chlorigeni producendi apparet, quanta sit potestas industrialis alicuius nationis.*** Pro concentratione acidum sulphuricum variis nominibus appellatur. Si est concentrationis minimum 10, maximum 20 partium pro centum, appellatur *acidum sulphuricum dilutum* sive *tenue*. Acidum autem *accumulatorium* habet concentrationem 33,5%. Haec acida etiam sub temperaturae gradu zeroτικο remanent liquida. Acidum sulphuricum, quod est concentrationis maximum 70 partium pro centum, dicitur *acidum camerae*, si habet maximum 80 partes pro centum, appellatur *acidum Gloverianum* (quod nomen spectat ad chemicum Britannum *Iohannem Glover*, 1817-1902). Acidum sulphuricum *concentratum* est concentrationis minimum 98,3%, est liquor *acetropicus*, cuius phasis vaporea habet eandem compositionem ac phasis liquida. Acidum *tenue* magnis copiis oritur in productione *titanii oxydati* et *pigmentorum*. Maxima pars acidi sulphurici consumitur laetaminibus producendis. Ope acidi sulphurici praecipuê pariuntur *laetamina phosphatis* et *ammonii sulphurici*. Quod postremum fabricatur reactione acidi sulphurici *semiconcentrati* cum ammoniaco.

In laetaminibus phosphatis producendis acidum sulphuricum adhibetur ad phosphatem crudum aperiendum. Praeter ammonium sulphuricum etiam alii sulphates fabricantur aptis salibus acido sulphurico mutandis. Exemplum est *aluminium sulphuricum* ex *aluminio hydroxydato* partum, quod magnis copiis adhibetur in industriâ chartariâ et ut *substantia coagulans* in aquâ purgandâ. Cum multa mineralia metallica acido sulphurico solvuntur, idem acidum adhiberi potest subsidium aperiendi. Exempla sunt *methodus umida zinci ex zinco oxydato producendi* et *methodus sulphatica*, quae adhibetur ad *titanium oxydatum* pigmentum album pariendum. Ope acidi sulphurici non solum mineralia metallica oxydata, sed etiam *fluorida* et *phosphates* aperiiri possunt. Reactione oriuntur acida respondentia. Haec methodus valet ad nonnulla acida in arte technicâ valentia. Exempla sunt *acidum fluoricum*, quod paritur ex *fluoritâ*, acidum phosphoricum ex *apatitâ*, acidum hydrochloricum ex *halitâ*. Acidum sulphuricum est etiam *acidum pilarum electricarum*, quod inest *accumulatorio plumbeo*, quale in autocinetis adhibetur ad motrum incitandum. Item in accumulatorio plumbeo acidum sulphuricum dilutum est *electrolyticum* in processibus electrolyticis. Comoda acidi sulphurici, si comparas idem cum aliis substantiis electrolyticis, sunt eiusdem magna *conductibilitas* et simul parva tantum inclinatio ad reductionem. In chemiâ organicâ acido sulphurico fumanti imponi potest grex *acidi sulponici* (*sulponatio*). Hôc modo praecipuê *tensida* industriae lomentorum fabricantur necnon *pigmenta*. - Alius grex functionalis, qui ope acidi sulphurici potest introduci, est *nitrogrex*. Hoc fit *acido nitrationsis*, quod est mixtura acidi sulphurici et nitrici. Quod acidum praecipuê ad *materias displosivas* fabricandas, velut *trinitrotoluoli* aut *nitroglycerini*.

In laboratoriis chemicis acidum sulphuricum est substantia una ex usitatissimis. Praeter acidum hydrochloricum et nitricum idem est acidum, quod persaepe adhibetur. Chemicis eodem acido utuntur ad valorem potestatis hydrogenii (pH) dirigendum, i.e. acido sulphurico utuntur *catalysatore*. Acidi sulphurici vis aquae attrahendae fortis adhibetur ad substantias organicas et gasa siccanda, quod fit in *exsiccatrix* et *lagoenis lautoriis*.

Quantum valeat in biologiâ. Acidum sulphuricum in aëre ex sulphure dioxydato exortum praeter acidum nitricum ex *oxidis nitrogenii* compositum est pars *pluviae acidae*. Pluvia acida in solis et stagnis et fluviis effici potest deminutione valoris pH. Effectus inferioris valoris pH est mutatio solubilitatis nonnullorum *ionton metallicorum*. E.g. aluminium, quod plantis nocet valore pH inferiore melius in aquâ solvitur. Item ionta biologicê valentes, velut *kalium* aut *magnesium*, facilius possunt elui. His de causis acidum sulphuricum pro causâ possibili habetur *tabis silvarum* annis octogenariis factae. Remediis technicis adhibendis, qualia sunt *gasi fumarii desulphuratio* in *electrificinis carbonariis* et introductio *substantiarum propulsivarum*, quae sulphuris continent quam minimum, in Germaniâ tantulum sulphuris dioxydati emittitur, ut aqua pluvialis insigniter paulum contineat acidi sulphurici. Acidum sulphuricum aciditate suâ ad pisces aliaque animantia aquarum effectum habet *toxicum*.

Indicia securitatis. - Acidum sulphuricum ad cutem et tunicas mucosas fortem habet vim irritantem et causticam. Quod potest telam vivam destruere (causticatione). Acidum sulphuricum concentratum propter effectum suum aquam fortiter attrahendi carbonificat et iam copiis parvis fortiter affligit cutem et oculos. Quo efficiuntur vulnera dolorosa, quae lentê tantum sanantur. Acidum sulphuricum etiam per vapores ex aëre potest recipi. Quia reactione acidi sulphurici concentrati cum aquâ oritur multum caloris, non licet hoc acidum diluere nisi in aquam infunditur; cave ne addas acido aquam! Si aqua additur acido sulphurico, acido e vasi exsperso causticantur homines circumstantes. Ex a.2021 non licet acidum sulphuricum, quod est concentrationis plus 15 partium pro centum ponderis, dare personis privatis.

aciēs, -ēī f.

298,306,568

Schneide – cutting edge – tranchant – filo - filo

1031

Schneide – edge – carre – canto - lamina

aciēs anterior

539

Außensteg – fore edge – tranche de gouttiere – canto de la cara – taglio anteriore

v. acies inferior.

GLOSSARUM ORBIS PICTI LATINI PARTEM ALTERAM (II) CONSCRIPSIT LEO LATINUS

ECHUS VOCES EPISTULAE

RADULFUS BONAERENSIS

D.18.m.Dec. a.2021 h.23:37 scripsit Raúl Lavalle:

Doctissime Leo Latine

Antequae ad te melius scribam, dic mihi, precor, quid *Berolinensis senatus russato-russato-prasinus* significet. Ignosce sed non intellego. Gratias plurimas, Radulfus

Care Radulfe,

nomen originale est "der rot-rot-grüne Berliner Senat".

In hoc senatu urbis Berolini (Berlin) sunt politici trium factionum - colores sunt symbola politica:

1. SPD sunt russati, i.e. socialistae
2. "Die Linke" (olim factio illius DDR): socialistae sive potius communistae, sunt etiam russati
3. Grüne (Prasini, factio oecologica)

Haec hactenus, mox, si volueris, libenter plura.

Gaudeo, quod legisti verba mea.

In Natale Domini exopto Tibi optima quaeque!

Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus

Nicolae Magne

Gratias tibi ob tuam celerem responsionem: nunc intellego. Semper te laudo. Quoad me, bis vaccinationem cepi (Ruteneam Sputnik Modernamque); in brevi ad tertiam dosin vocabor uxorque mea in tertia dosi Pfizer cepit. Non vaccinationi obsum.... Attamen nullo modo laesio libertatis mihi placet.

Ad Caium Licoppe bis semelve olim scripsi; ab eo duo *Melittae* exemplaria accepi. In hoc Adventus Nativitatisque tempore legere quaedam carmina quae Alanus Divutius Belga olim pepigit. Nuntius tuus electronicus, ut vides, memoriae solatium mihi attulit. Forsan iam id feci sed ad te meum humillimum nuntium poeticum mitto: non ut legas, quia mea Latinitas valde pauper est, sed ut de eius exsistentia scias. In hoc humili Latino sermone, hispanicis modismis pleno, beatum Diem Natalem tibi exopto, Radulfus.

GAIUS LICOPPE NESTOR LATINITATIS VIVAE

Le 17 déc. 2021 à 23:41, SPQR <spqr@leolatinus.de> a écrit :

Nicolaus Gaio suo sal.pl.

s.v.b.e.e.v.

Modo tibi, care sodalis, misi tibi commentarios Leonis Latini periodicos (EL 247). Cui cum insint etiam nonnulla verba, quae spectant ad te, rogo te, ut inspicias. Utinam tibi placeant etiam Glossae Orbis Picti Hexaglotti. Medullitus te Franciscamque tuam salutat Nicolaus Leo Latinus.

Am 20.12.2021 um 15:53 schrieb Licoppe-Deraedt:

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

De glossis Orbis Picti nunc agetur:

- accordum: recte dicis hoc vocabulum originem Francogallicam habere; verbum "accorder" (unde subst. "accord") trahitur e sermone Latino populari "accordare", ipso de "concordare" derivato transpositione praefixi. (O. Bloch, W. von Wartburg, *Dictionnaire étymologique de la langue française*).

- accumulatum : Francogallice non dicitur "bloc-piles" sed "batterie" ("d'accumulateurs", iam non additur sed subauditur).

Fr. "pile" est res, quae modo chemico-electrico electricitatem gignit usque ad substantiarum chemicarum exhaustionem. Hoc instrumentum ab Italo Volta exeunte XVIII s. inventum est; haec inventio, cui nomen dedit Latine "pîla Voltaica", primum Francogallice divulgata est anno 1800; Fr. factum est "pile électrique". Idem instrumentum, si ei exhausto electricitas infunditur, valet electricitatem reddere, quare vocatur "accumulateur". In usibus tamen nostris unum accumulatum non sufficit; quare potentiora instrumenta e compluribus accumulatis constantia fabricantur; huiusmodi instrumenta Fr. vocantur "batterie", quod nomen electum est propter similitudinem cum locutione "batterie d'artillerie" (circa 1200), adhibita ad complura instrumenta bellica simul in usu designanda. Fortasse audendum est finger "bateria,ae", ut "artilleria" apparuit in libro *Ars magna artilleriae*, Amstelodami 1650, a generali lituano Carolo Siemienowicz conscripto. "Bateria accumulatrorum" propono.

- acetum: Fr. vinaigre nil addendum. Acetum album : vinaigre blanc. Acetum vinaceum: vinaigre de vin. Acetum maltosum: vinaigre de malt.

Cura ut valeas.

Nicolaus Gaio s.

Sodalis carissime,

summas gratias! Gaudeo quod pergis glossas meas existimare. Miratus sum te praefatiunculam meam, quae ad nihil spectat nisi ad dissociationem hominum impediendam et pacem nataliciam restituendam, appellavisse "satanicam". Sed quia bene scio te minime esse dogmaticum mediaevalem furore superstitioso obsessum, sed potius more Kantii Voltariique menti illuminandae deditum, pro certo habeo te hoc adiectivum abominabile non adhibuisse verbatim, sed metaphorice. Scilicet epistulam tuam proxima Epistula Leonina publicatum iri. Lectoribus libenter concedo, ut de sententiis allatis iudicent quidquid sibi in buccas venerit. Haec brevissime, mox certe plura.

Vale pancreaticè.

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

In novissima epistula doles quod non intellexerim benignum consilium tuum tantum fuisse praedicare ne fieret hominum dissociationem. Consilium tuum, etsi benignum, continet tolerantiam erga homines qui nolunt se protegere contra hodiernum morbum virale et, sic se gerentes, ceteris hominibus maiori periculo exponunt et in nosocomiiis gravissima detrimenta excitant. Hac de causa dixi tuam praedicationem esse satanicam. Exstat Francogallice hoc proverbium: "L'enfer est pavé de bonnes intentions", quo significatur multos homines esse, qui benigno animo agant, sed de nocivis effectibus cogitare nolint. Haec amicaliter tibi dico ut, lectis informationibus medicis quas subiunxeram, eas intellegas. Cura ut valeas.

Nicolaus Gaio suo optimo sal.pl.

Summas gratias pro litteris tuis doctissimis modo acceptis, quas iam inserui Epistulae Leoninae 248 cras mittendae. Huic Epistulae Leoninae 248 insunt multa alia, etiam quaedam coronaria, quae non ipse scripsi, sed quam fidelissimè Latinè reddidi, ut cognoscant lectores humanistae et ipsi iudicent quomodocumque velint. Nullo modo ausim de sententiâ medicinae peritorum definitè iudicare. In his rebus personam potius gero nuntii vel relatoris quam scientistae. In rebus quidem, quae spectant ad linguam litterasque Latinas, ausim ipse iudicare. Sed bene scio id quod dicit Sanctus Hieronymus: errare esse humanum, inhumanum esse in errore perseverare. Vale pancreaticè; haec hactenus, mox certè plura. Medullitus te salutatur nocturno tempore Nicolaus Leo Latinus

(27.12. h.01.18)

MARCUS CRISTINI

D.23.m.Dec.2021 h.21:40 scripsit Marcus Cristini:

Marcus Nicolao impigerrimo s.p.d.

Gratias tibi maximas ago, sodalis optime, pro *Epistula Leonina* 247. Suspenso miratoque animo glossas primas, immo primitias *Orbis Picti* legi et tibi imo ex corde gratulor de incepto hoc utillimo et ab omnibus Latinitatis vivae fautoribus procul dubio laudando. Gaudeo, quod verba nonnulla, quae in thesauris verborum iam leguntur, explicatione seu notula digna arbitreris. Nam non omnibus praesto est ponderosum lexicon Latinum et pro certo habeo lectoribus permultis commentarios e.g. de aceto vel acero magno emolumento magnoque oblectamento fore. Dum glossasolvebam, lapsus calami re vera minimum inveni, quem fortasse haud inutile est tibi patefacere. Italice enim “libella” (*accessus ad libellam operatiōnum secundam*) est “livello” et non “nivello”.

Legi te Procopii Caesariensis *Historiam Arcanam* seu *Anecdota* nunc pervolutare. Nuper publici iuris feci brevem symbolam de Procopio in *Biographico-Bibliographico Lexico Ecclesiastico* (*Biographisch-Bibliographisches Kirchenlexikon*), quam tibi libenter mitto. Insuper initio mensis Decembris typis traditus est liber diu exspectatus, M. Meier & F. Montinaro (cur.), *A Companion to Procopius of Caesarea*, Leiden – Boston 2021, qui annis proximis futuris Procopii studiosi quot sunt nocturna versabunt manu, versabunt diurna. In eo est capitulum quoque de *Historia Arcana* (pp. 121-136).

Tibi, care Leo, pacificum tranquillumque festum Christi Natalis exopto. Utinam annus 2022 faustus sit, Latinitate ditissimus et lue pauperrimus!

Pancratice vale.

Nicolaus Marco sal.pl.

Plurimas gratias tibi ago, carissime sodalis et Latinissime! Gratias etiam pro emendatione verbi Italici, gratias pro titulo novi libri Procopiani mihi perhumaniter indicato. Nos in seminario coepimus *Anecdota* tractare et in utramque partem disputare, quatenus Procopius Antoniam Belisariumque, Theodoram Iustinianumque verê iustêque describat, utrum isti reverâ fuerint tantae malitiae an Procopius interdum nimium exaggeret, immo desiderio ulciscendi commotus sibi non temperet, quin illos diffamet. Difficile dictu! Sed lectio non est taediosa, genus dicendi placet, et semper habemus materiam disputandi. Mittas mihi, quaeso symbolam tuam, placebit tecum de singulis rebus Procopianis per litteras colloqui. Maximê autem mihi cordi est Glossarium Orbis Picti Hexaglotti perficere, cuius partes proximis Epistulis Leoninis publicabo. Rogo te, ut mihi, si qua erit tibi occasio, scribas mihi, quidquid tibi in buccam venerit de singulis locis.

Haec hactenus, mox, si volueris, certê plura. Cras velim Epistulam Leoninam nataliciam (248) publici iuris facere tibi que quam maturrimê mittere. In Natale Domini et Annum 2022 ineuntem optima quaeque! Utinam sint tibi dies tranquilli et recreabiles, quos - adversus difficultates pseudopandemicas - degere tibi liceat cum hominibus amatissimis!

Medullitus te salutat

Nicolaus Leo Latinus

Marcus Nicolao s.p.d.

Gratias tibi ago pro responso celerrimo proque votis. Tibi mitto symbolam, immo vocem Procopianam, cui inest - inter alia - index editionum, interpretationum commentariorumque *Historiae Arcanae*.

Optime vale!

ALBINUS FLACCUS

D. 23.m.Dec. a.2021 h.21:21 scripsit Albinus Flaccus:

Salve Care et Doctissime Nicolae! Albinus te salutatur, SVBEEV!

Primo (ut scholastici dicere solebant): Tibi ferias Natalicias laetissimas exopto atque annum novum prosperissimum! Secundo: Omnino assentior praefatiuncula Tua. Utinam fautores istae pseudo-pandemiae anno proximo Saxum Tarpeium ascendant et... Sed haec hactenus! Decet hiis in temporibus Nataliciis aliquantulum tolerantiae servare... Ferias illas celebramus! Quamquam Nemini propheta in patria sua etiam familiares nostros istas stultitias credunt et fovent et negant ferias agere ob timore cuiusdam "omicron". Tamen "Noche buena" (24 dic.) hic (plus-minusve) una celebrabimus! Spero te quoque una cum Tuis has ferias celebraturum iri! Vale! PS: In appendice parvum exemplum celebrationum Natalicum in regionis meridionalibus Hispaniae (ego eheu in regionibus septentrionalis sum): <https://youtu.be/IXivfuROaw8>

Nicolaus Albino suo sal.pl.

Summas gratias, sodalis carissime, pro salutatione tua natalicia! Tibi quoque exopto Natale laetissimum, annum 2022 felicissimum! Musici modi Hispanici, quos mihi misisti, sunt admirabiles. Audio libentissime! Valde gaudeo, quod tibi placet praefatiuncula mea. Pereant pandemiae putativae, istius dramatis concacati, furciferi scaenothetae! Pro certo habeo istos esse veros daemones diabolosque. Fere totum mundum reddunt pauperem miserimumque. Utinam novus annus nobis ferat eventus feliciores quam praeteritus! Isti daemones Civitatis Profundae, isti satanistae, sunt dolosissimi, sed non infallibiles, non sunt invincibiles. Nulla tyrannis aeterna est. Paulatim et gradatim populi surgunt tyrannos sublaturi. Utinam omnia feliciter evadant. Per aspera ad astra! Cras tibi mittam EL 248. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

ALBINUS: P.S.

Etiam (cum parvo tono "gitano" sed vere innocens et Juvenile et bene factum.

Sine ulla "vulgaritate"): <https://youtu.be/AvCgZC5fB04> et <https://youtu.be/ep9KvSgB7aY> Vale!

PABLO KANGISER**Paulus Nicolao s.p.d**

Adiungo commentarium de Bello Frigido deque casu Chiliensi, quem, si tibi videtur, potes edere. Correctiones si quas putas esse agendas, fac me, quaeso, certiolem. Cura ut valeas.

Care Paule,

summas gratias! Iamne accepisti Epistulas Leoninas 246 et 247? Haec brevissime, mox plura, Nicolaus Leo Latinus

DE VACCINATIONE CORONARIA

QUID SENTIAT....

Dr. med. Gaius Licoppe

GAIUS LICOPPE

»Sequentia verba mea, velim in proximo Leone Latino divulges; non enim bonum est tuos lectores semper unum tantum campanae sonum percipere«.



Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Cum primam symbolam Leonis Latini legi, primum mihi visus es benignus pastor praedicans, sed verba tuae praedicationis legens horruui, praedicatio enim erat satanica.

Incubuisti quoque in scientias naturales, quare mens tua apta est ad res intellegendas, quae ad naturam spectant.

Medicus sum et iam terribilem epidemiam annis quinquagesimis praeteriti saeculi passus sum; erat poliomyelitis, cuius virus transmittabatur aqua inquinata; agitur de viro neurotropico, quod laedit medullam spinalem variis locis; pro singulis locis laesis apparebat certa paralysis perpetua; si initium medullae, bulbus scilicet, laedebatur, patiens moriebatur; si regio dorsalis laedebatur, apparebat paralysis musculorum respirationis et patiens moriebatur suffocatus; pauci supervixerunt inclusi in cylindro hermetico, in quo antlia electrica alternatim pressionem et depressionem faciebat ad respirationem artificiose gerendam; solum caput miserabilis hominis e cylindro eminebat. Saepius apparebat paralysis membrorum inferiorum, quam passus erat v.g. Americanorum praeses Roosevelt. Omnia natabula publica clausa sunt, oportebat diffidere omni aquae, praeter illam inclusam in lagoenis obturatis. Diffidendum quoque erat omnibus holeribus et pomis, quae alienis manibus tractata erant; ad ea

cruda comedenda oportebat ipsum comesorem ea deglubere. Decem anni tunc necessarii fuerunt ut post multa inania conamina tandem duo vaccina efficacia in promptu essent. Vaccinatio fuit obligatoria ac tantus erat morbi timor ut nemo eam respuerit. Vaccinatio effecit ut poliomyelitis celeriter dispareret in Europa et nunc fere in toto orbe terrarum.

Sequentia verba mea, velim in proximo Leone Latino divulges; non enim bonum est tuos lectores semper unum tantum campanae sonum percipiant. Hodiernae pandemiae agens infectiosus est virus, ut sunt agentes infectiosi multorum morborum. Scientificis, solis aptis ad investigandum de his rebus, hodiernum virus est novum, incognitum; initio solum sciunt hoc virus, ut cetera, esse parasitum, quod tantum vivere et mutiplicari potest si aliquam viventis cellulam penetrare valuit. Effectus morbiferi diversorum virorum sunt magnae varietatis nec praevideri possunt; medicos ergo nostrum novum virus imprimis observare oportuit, ut post satis multas infectiones eius agendi modum et effectus adumbrare possent. Quid autem post duos annos observatum est?

- Homo viro infectus respirando spiritum emittit, quo vira vehuntur; saepe spiritum comitantur salivae minimae guttulae viris oneratae. Si quis hunc spiritum inhalat, sinit vira cellulas sui systematis respiratorii penetrare, unde incohatur morbus. Prima et efficax protectio contra contagionem est comprobata mascam gerere nasum et os tegentem atque certam distantiam inter homines servare (non oportet amplecti vel manus conserere).

- Virus Covid-19, ut vocari solet, est coronavirus (propter formam solum microscopio electronico visibilem), eiusdem familiae ac virus grippae iam diu apud gentes Europaeas endemicum factum. Ad morbos virales sanandos nullum adhuc inventum est efficax medicamen; vaccinatio contra maximae efficacitatis est, sed in antecessum ministrari debet. Mirum in modum unus annus suffecit ad complura vaccina efficacia contra novum virus fabricanda, cum medio vicesimo saeculo terribilis poliomyelitidis epidemia decem annos saevierit, antequam efficax vaccinum in promptu esset, quo obligatorie ministrato mox in Europa epidemia exstincta est; homo vaccinatus contra hunc morbum protegatur fere in perpetuum.

- Infeliciter idem non fit de viro hodierno, qui eodem modo se gerit ac virus grippae, contra quod vaccinatio solum nonnullos menses est efficax, ut experti scimus.

- Inter vaccina contra virus Covid-19 fabricata, unum (Americanae fabricae Pfizer) assuetis methodis non fabricatur, sed primum adhibita est

inexpectata particula ('ARN missionarius' scientiae geneticae). Ipse semper diffidi recentibus medicaminis, etiam nunc vaccino Pfizer. Attentissime ab initio sequor epidemiae cursum et postquam centena milia hominum vaccinum acceperunt, patuit vaccinum Pfizer maximam protectionem contra morbum conferre cum minimis effectibus secundariis. Non dubitavi, statim ac in promptu fuit, vaccinum Pfizer bis accipere.

- Mos omnium virorum, si occasio eis datur multiplicandi, ut necessario fit apud frequentes gentes non satis vaccinatatas, est post multas procreationes viri formam leviter mutatam gignere; nonnullae harum mutationum maiorem virulentiam viro conferunt, qua plus minusve augetur contagio; mense Decembri anni 2021 civitates Europaeae invaduntur mutato viro magis contagioso, quod Omicron vocatur.

- Non exspectabatur recens epidemiae culmen, cum in civitatibus Europaeis maior incolarum pars vaccinum voluntarie accepisset. Medici compererunt vaccini efficacitatem minui decursu mensium, ut solet in morbis generis grippae. Post duplicem vaccinationem corpus non solum protegatur contra morbum, sed quoque contra contagionem, sed post nonnullos menses iam non protegatur contra contagionem; homines ergo etiam non aegrotantes possunt infici et alios inscii inficere. Inde necessitas tertiae vaccini dosis, quam ipse accepi et quae nunc distribuitur etiam pueris.

- Ei, qui rationabiliter se gerere nolunt et vaccinum respuunt, non solum ipsi contra morbum eiusque letales pulmonum laesiones non proteguntur, sed impediunt ne epidemia superetur; videntur non curare de nimia multitudine hominum graviter aegrotantium in nosomia invadente, qua impeditur ne alii aegri recte et tempori curentur; invasorum longe maxima pars constat ex hominibus non vaccinatis. Non mirum quod vaccinatio obligatoria iam facta est in Austria, dum aliae civitates ad eandem obligationem inclinant.

Puto me dilucide et modo omnibus facile intellegibili hanc rem satis intricatam explicavisse.

Ceterum gratias plurimas et maximas tibi ago de imagine publicata bonisque verbis occasione nonagesimi mei natalis diei prolatis, quibus etiam gratulationes adiunxisti Caeciliae, Alfonsi et Alani nostri.

Cura ut valeas.

DE VACCINATIONE CORONARIA QUID SENTIAT....

Dr. med. Thomas Sarnes

<https://www.youtube.com/watch?v=phhqpeOwdzY> 21.11.2021

<https://www.provegan.info/de/infothek/politik/bitte-anschauen-dr-med-thomas-sarnes-bitte-fangen-sie-endlich-an-zu-denken-wachen-sie-endlich/>

**Thomas Sarnes, archiater quondam chirurgiae clinicorum
supra Habalam sitorum**



Cari amici,

denuo nemo loquitur nisi ego. Hoc non in animo habueram, sed his diebus multas accepi litteras. Id quod dicere solent illi qui mihi scribunt est: Velimus te denuo aliquid dicas, quod nos adiuvat. Hôc autem loco vocem tollo, quia omnibus dicere debeo: Hoc non possum. Multi domi sedent et legunt et gratias agunt et commentantur – quae omnia bona sunt. Sed: Equidem nihil possum suscipere pro aliis. Hoc illis ipsis faciendumst. Scio multos exspectare patronos aliquid facturos esse. Quandonam isti tandem querimoniam acturi sunt? Cari amici mei: Patroni ipsi non agunt querimonias. Etiam hoc vobis ipsis faciendumst. Patroni tantummodo patrocinium vestri suscipiunt. Illud „tantummodo“ scilicet dico signis citationis adiectis. Puto autem hanc spem in aliis positam esse difficultatem maximam. Ut nos omnes animadvertimus, sermo publicus fit acrior et minacior. Politici pergunt agere tam vage et imperite et titubanter quam antea. Quod nescio an sit indicium bonum: In angustiis sunt illi, qui volunt nos cogere, ut valeamus suo mandatu. Sermones a diurnariis publicati sunt formidulosi. Diurnarii – paucis exceptis – apparenter nihil

addiscunt. E contrario! At cogito hoc esse insigne commendationis propagandae. Nos cives quondam illius DDR adhuc bene hoc novimus et fortasse nos ideo aliquanto accuratius consideramus res politicas hodiernas. Antequam de re ipsâ pergam loqui, velim clarê pandere, qualis sit mea condicio personalis. Ut homines, qui me nondum noverint, pergant me audire. Scilicet agatur de themate nostro magno. Ne verbis meis commovearis, ut me ponas in angulum dextrum – ubi stare dicuntur harioli et cogitatores transversales et denegatores coronae et adversarii vaccinationis – velim haec accipiatis: Sum medicus rude donatus, ex 40 annis laborum clinicorum clarê scio exstare vîra coronae et influenzae et adenovîra et rhinovîra et multa alia, et quomodo procedant morbi ab iisdem effecti. Ipse in vitâ meâ professionali persuasione inductus vaccinavi et ipse vaccinatus sum contra tetanum, diphtheriam, tussim convulsivam, poliomyelitidem, variolas, tuberculosin, hepatitidem B, typhum, choleram, febrim flavam, rabiem. Contra morbos postremos eo imprimis, quod laboravi in terris tropicis. Nunc denuo faciem meam monstrans vobis declarabo, quâ de causâ non vaccinatus sim contra infectiones morbi coronae.

In historiâ usque nunc numquam fuit condicio, quâ homines alicuius terrae – aut multarum terrarum – a gubernatione tantâ cum aggressione et respectûs absentîâ indicibili pressi, immo coacti sunt, ut subirent curationem medicinalem. Usque nunc numquam hominibus tantopere tenebrae sunt offusae argumentis, quae non quadrant, immo, quae sunt falsa, interdum sunt stulta – ut planê dicamus: commendatione propagandâ. Numquam antea gubernatio mendaciter declaravit eum civem, qui sineret se curari methodo maximê dubiâ et parum probatâ, clarae rationis clarique finis experti, immo perquam periculosâ – talem civem, inquam, se praestare saluti communi prospicientem. Solâ eâ causâ, quâ minister valetudinis – medicinae imperitus – dicit eam vaccinationem esse securam et efficacem, hoc nequaquam est verum. Numquam antea homines tam vehementer alii in alios instigati sunt, quia pars eorum – quae complectitur multos miliones – iure suo utitur, quo – quacumque de causâ - recusat, ne corpus suum tractetur ratione medicinali. Qui utitur uno ex iuribus suis fundamentalibus. Numquam antea politici tantâ cum vehementîâ, tam crassê, tam mendosê tam impetuosê hominibus tenebras offuderunt, nixi ignorantîâ nuntiisque falsis. Numquam antea fuit condicio, quâ politici pro eo, ut ius, quod valuit, tenerent, actiones suas aptis legum mutationibus frequentissimis conati sunt legitimare. Numquam antea

politici unâ omnes erraverunt propter imperitiam et sui ipsius amorem et politicam obnoxietatem. Numquam antea in historiâ medicinae – quantum ego video – tanta amissio scientiae collecticia facta est aut organisata aut coacta. Numquam antea diurnarii paucissimis exceptis tam unanimiter ab officiis suis aberraverunt. Numquam antea politici parlamentorum tam unanimiter erraverunt propter commendationem propagandam, disciplinam factionis propriae, lucri cupidinem propriam, nisi tantummodo studio oboediendi scientiam atque conscientiam suam moralem prodendi, ut diu remanerent in parlamento propter diaetas et ius pensionum.

An mente fallor - nonne talia iam semel vel bis in Germaniâ facta sunt? Quid politici ex septimanis cives urgent, ut sinant se vaccinari vice tertiâ? Quamquam adhuc nulla novimus resultata! In universitate Lipsiensi modo demum scientistae coeperunt utilitatem talis vaccinationis repetitae probare. In Civitatibus Unitis vaccinum quoddam nobis bene notum interdictum est, ne iniciatur vice tertiâ. Causa allata est haec: Tali vaccinatione hominibus spem inici falsae securitatis. Quid nostri politici tam vehementer urgent homines, ut subeant vaccinationem tertiam, quamquam Organisatio Valetudinis Mundana personâ illius **Tetros** secretarii generalis propter datorum condicionem urgenter dissuadet, ne homines tertiâ vice vaccinentur? De hac re legi potest in periodico speciali britannico, c.t. „*Lancet*“. Vaccinatione tertiâ nullum accipitur commodum additium. Quare gubernatio foederalis adhuc fungens* in personâ Domini Spahn consilium cepit in annum 2022 comparare 204 miliones dosium vaccinatorum? 204 milionibus dosium vaccini totus populus Germaniae ter vaccinari potest. Haec comparaverunt quamvis nescirent, qualis futura esset condicio proximi anni futuri. Iam a.1980 praedicere vobis potuissem nos habituros esse undas coronae vere et hieme et autumno – et hoc ita manebit in omne tempus futurum. Hoc non investigandum fuit investigatione insignissimâ atque sagacissimâ. Hoc est nihil nisi scientia medicinae fundamentalis. Ergo quid est causae, cur haec omnia fiant? Quare mihi inspicienda sunt depositoria datorum americana (VERS), ut acciperem, quam periculosa esset vaccinatio reverâ? Ibi enim notantur complicationes vaccinationum. Illi habent haec omnia. Quare nulla fides est *Instituto Pauli Ehrlich*, cui per totam meam vitam confisus eram? Quare miror de numeris depositorii datorum ipsius WHO (Organisationis Valetudinis Mundanae), si generaliter agitur de effectibus medicamentorum secundariis nuntiandis et specialiter agitur de vaccinatorum effectibus? Ibi legitur: de vaccinatione parotitidis. Quae fit ex

39 annis, numeri notati sunt ab a.1971 usque ad a.2021. Huius vaccinationis 711 effectus secundarii non optati. Vaccinatio tetani. Cuius resultata notantur ex 53 annis, ab a.1968 usque ad a.2021, 15.085 effectus secundarii non optati. Vaccinatio hepatitidis B, ex 37 annis notantur eius resultata, ab a.1984 usque ad a.2021, 104.619 effectus secundarii non optati. Ecce nunc vaccinatio covidiana: quae fit ex 11 mensibus, nondum per annum integrum, ab a.2020 usque ad a.2021, nuntiati sunt 2.457.386 (duo miliones quadringenta quinquaginta septem milia trecenta octaginta sex) effectuum secundariorum non optatorum.

Cari amici mei,

hōc loco omne experimentum, quod fieret bestiis adhibitis, iam pridem esset interruptum. Quare nulla data sunt clara in *Instituto Pauli Ehrlich*? Aperta, sincera, non occultata? Quare fieri non potuit, ut acciperentur data accurata de portione vaccinatorum et non-vaccinatorum in stationibus intensivis aut in stationibus morbi coronarii normalibus? Hoc est simplicissimum, hoc patet ex unâ tantum quaestiunculâ in aegroto recipiendo et ex cruciculâ positâ! Hoc mihi quidem videtur effectum esse rebus factis occultandis. Quare homines nesciunt hominem vaccinatam, si habet symptomata, in statisticâ haberi pro non-vaccinato?

Haec, Dominae Dominique, sunt neque res medicinales neque scientificae. Quonam modo se habent homines, qui politicis confisi se dederunt probandos experimento faciendo? Ut pro certo habeant rem, iisdem dictum est et crediderunt se fore securos. Omnia iisdem fore faciliora factu. At nunc circumcursitant mascis induti, debent probari probis covidianis, multi eorum iterum habentur pro non-vaccinatis. Qui audiunt de vaccinationum transgressionibus („Durchbrüche“), audiunt periculum sibi imminere, ne inficiantur, ne in morbum incidant, ne alios inficiant. Solacio iisdem narratur se non tam graviter aegrotaturos esse quam non-vaccinatos – sed quis iis hoc dicit? Ubi sunt data, quibus hoc demonstretur? Talia data non exstant. Hoc consulto falsum dictum est. Qualisnam istaec vaccinatio est? Quidnam hic fit, quid agitur? Facite de istac re deliberetis: Habemus 3 G (id est praescriptum est, ut hominibus non liceat vitae publicae esse participes nisi sunt aut vaccinati aut reconvaluerunt aut sunt proba coronaria probati. Ii qui reconvaluerunt possunt secum ferre vîrus et vaccinati possunt vîrus secum ferre. Ambo greges non probâ probantur. At non-vaccinatus probatur et est unicus, qui certo scit se esse negativum.

Qui adit ambos greges alios et ab iis potest infici. Equidem nolo hoc aestimare. Volo vos incipiatis cogitare. Ipsi cogitetis. Etiam hodie non loquimur de aegrotis, sed de probarum resultatis positivis. Nemo aegrotus est nisi habet symptomata et nemo nisi aegrotus potest alios inficere. Hoc reverâ non est difficile intellectu, si quis hoc intellegere vult, et si quadrat ad politicorum negotia agenda. Amici mei, sive estis vaccinati sive non: Tandem incipite cogitare! Incipite certiores fieri. Sentio reverâ certiores fieri. Vos omnes annexi estis ad interrete. Inspicite depositoria datorum. Inspicite et legite. Omnia intellegetis, quia intellegere vultis. Nolite vos in errores induci ab ARD et eidem stationi radiotelevisificae similibus. Neque ab aliquâ commissione ethicâ – equidem quaero reverâ – qualisnam est in istorum mentibus imago hominis? Nolite in terrorem conici ab instigatoribus spectaculorum et nuntiorum! Tandem deliberate vos ipsi!

Nunc autem duas res tractabo personales.

Dominus *Lauterbach** in emissione ipsius ZDF d.15.Nov. a.2021 in contextu citatur. Qui dixit autem haec: „*Non-vaccinati utinam ne ullum aditum habeant nisi ad locum operandi et ad tabernas victualium et ad aromatopolia et ad pharmacopolia.*“ Haec hactenus. Domine Lauterbach! Si quidem haec verba mea nunc audis. Inde ex d.15.m.Nov.a.2021 meâ quidem sententiâ tu non iam es medicus, etiamsi approbationem tuam magnitudine decies exauctam ex pariete habes suspensam. Verba tua sunt tantopere principiis medicorum contraria necnon ratione tam medicinali quam humanâ tantopere inania, ut equidem medicus tibi affirmem me te vehementissimê aspernari. Ratione morali te tollo ex circulo nobili medicorum collegarum meorum.

Nunc ad rem alteram. Natus sum a.1954, pater meus a.1922, qui fuit miles in altero bello mundano, etiam captivus. Et cum satis adolevissem, inter nos saepe collocti sumus de illâ aetate. Immo, rixabamur, rixabamur de quaestione: Quonam modo istud illo tempore fieri potuit? Quonam modo totus populus potuit mentem sanam amittere? Pater conatus est mihi hoc explicare; at ego eius explicationem non comprobavi. Non comprobavi fieri potuisse, ut populo per se prudenti tantae tenebrae offunderentur. Nos unus alteri acclamabamus, hac de causâ per dies non iam inter nos collocti sumus. Non comprobavi ea quae dicebat neque credidi. A.1996 eum perdidit. In pace nos unus ab altero discessimus. At nunc eum postumus rogo, ut mihi ignoscat. Nunc, rebus sic stantibus, intellego, quae

illo tempore facta sint. Pater, rectê dixisti! Cogito vos nunc intellegere, quare ego non patiar me vaccinari. Equidem non egeo cauponâ – caupona eget me. Non egeo cinemateo, sed cinemateum eget me. Perlibenter theatrum frequento – sed non omni pretio. Bene valeo et me ipso contentus sum et meis circumiectis. Utor iure meo sententiae liberê dicendae et patior fortasse non omnes me sequi. At unum hoc dico: Non sum adversarius e principio. Medicus sum et perquam exactê scio, de quâ re loquar. Vos omnes etiam scitis, de quâ re loquar. Praecipuê omnes collegae mei medici. Comprehendite vera problemata systematis valetudinis superonerati¹ et circumspicite veram vitam degentes! Ubi est pandemia, ubi est catastropha et calamitas summa? Si desineretur probis coronariis probare, nullus homo videret aliquid dramaticum, quod peius esset quam ea quae fiunt quotannis. Ne ulla quidem prognosis politicorum eorumque scientistarum et praesidum ministerialium eorumque consultorum omniumque istorum morionum aulicorum usque nunc ullo modo ad veritatem adducta est. Ne ulla quidem! Tandem expergiscimini! Deliberate et certiores fite! Quaerite solutionem problematis ipsi, nolite quaerere istos, qui effecerunt, ne problema evadat. Vos ipsi efficitis, ne desinat problema exstare. Si autem quaeritis homines nocentes, quaeratis, quaeso, loco recto. Alii homines, qui suo iure decreverunt, ne vaccinantur, non sunt noxii. Este concordēs, nolite discordiâ seiungi! Vos omnes novistis principium, q.e. „*Divide et impera!*“ Spero autem praesertim in parlamenti terrarum foederalium quam maturrimê rationem superaturam esse oboedientiam propagandisticam. Rogo ut incipiatis cogitare!

Politicos autem, qui videntur penitus aberravisse de viâ rectâ, moneo verbis *Papae Gregorii Magni*, qui vixit saeculo septimo et dixit: „*Ratio maiore vehementiâ potest se adversari malo, si ira eam adiuvat serva industria.*“ Deliberate prorsus! Si hoc nimis difficile est, alteram vobis pandam sapientiam simpliciorē Indianorum. Quae est haec: „*Si animadvertis te equitare equo mortuo, descende!*“ Neque est minister

¹+superonerō, -āre: cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/SUPERONERARE>: „[SUPERONERARE Communem Pasturam](#), Immodice abuti jure compascendi. Placit. ann. 43. Henric. III. Reg. Angl. Sutht. rot. 10. in dorso in Abbrev. Placit. pag. 147 : Quare injuste superhoneraverit communem pasturam suam in la Ruge, ita quod in ea plura habet animalia et pecora, quam habere debet et ad ipsum pertinet habendum, secundum liberum tenementum suum, quod habet in eadem villa..... Consideratum est, quod praedictus Hugo de cetero non habeat in praedicta pastura nisi tantummodo 8. boves, vaccas vel juvenas, 6. porcos et 20. oves ad plus, et sit in misericordia, quia prius eandem pasturam Superhoneravit, etc. Vide ibid. pag. 123. rot. 7. Aliud ann. 17. Edward. I. ibid. pag. 217. Coron. Buck. rot. 13 : Gilbertus.... et Augustus frater ejus Superoneraverunt communam pasturæ de Wotton de 260. bidentibus post mensuracionem factam ibidem. Vide Grimm. Antiq. Jur. Germ. pag. 106. 523. Leiseri Jus Georgic. lib. 2. cap. 14. sect. 37. “

valetudinis neque virologus neque consiliarius ethicus neque moderator colloquii televisifici, neque ullo umquam modo vir valetudinis peritus factionis SPD, qui statuatur, num equus sit mortuus. Hoc scimus et sentimus nos ipsi multo melius. Curate ut bene valeatis!

THOMAS SARNES

RESPONSIO GAI LICOPPE

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Si bene legisses dilucidatas explicationes meas, non scripsisses ‘Si homines vaccinati sunt, cur timent ne inficiantur a non-vaccinatis?’

Certe vaccinati gravis morbi forma vix est timenda (in 90% casuum cum optimo vaccino); frater meus e.g., etsi recte vaccinatus, anticorpora non habet et ergo non protectus est; rari tamen sunt huiusmodi casus.

Cum virus Covid-19 eiusdem familiae ac virus grippae sit, eodem modo se gerit: protectio vaccinati hominis minuitur decursu mensium, unde necessitas novae vaccini dosis; in Republica Israeliana, quae sine mora pugnam contra virus instituit, iam distribuitur quarta dosis.

Duas vel tres septimanas post secundam iniectionem protectio est maxima; eo tempore homo recte vaccinatus non contaminatur; sed, decrescente protectione, tempus venit quo, etsi contra gravem morbi formam manet protectus, iam non est contra contagionem; sic fit ut minus protecti infici possint et inde inscii alios inficere possint, cum ipsi morbum non habeant vel leviter tantum. Oportet scire non vaccinos et vaccinos quorum protectio minuta est contagiosos esse antequam morbi symptomata apparent; sunt quoque homines qui viro infecti morbum non habent praesertim pueri, sed tamen sunt contagiosi. Quae cum ita sint, ‘praecautiones-saepta’, quae dicuntur, i.e. mascam recte gerere, certam distantiam inter homines quantum fieri potest servare et manus saepe lavare vel mixtura hydro-alcoholica illinere, sunt necessariae.

Infeliciter tot viris facultatem in cellulis nostris multiplicandi damus, ut post certum numerum multiplicationum, solito virorum more, appareat viri mutatio novam formam gignens, quae, si peior est praecedente, se ei celeriter substituit; habuimus mutatum Delta, ter magis contagiosum, et nunc mutatum Omicron, etiam multo magis contagiosum. Quo rariores ergo erunt homines contaminati, eo rariores fient mutationes. Insuper, si in nosocomiis provincia curarum intensivarum iterum saturata est, in causa sunt non vaccinati, e quibus constat longe maxima pars hominum curandorum.

Recenter accidit ut filia mea Diana, quae in schola linguam Latinam docet, ibi contaminaretur; cum aliquo die coryzae symptomata haberet, dubitavit num esset initium morbi Covid-19; morbum re vera contraxerat, quamquam ante nonnullos menses duas vaccini Pfizer doses accepit, sed

morbis fuit levis et post quattuor dies disparuit. Valde timendum erat ne maritus quoque morbum haberet, sed testum fuit negativum; non mirum, cum paulo ante tertiam vaccini dosin accepisset.

Organizationis Mundanae Sanitatis (OMS) praefectus his diebus nuntiavit hoc: ‘Complures vaccini doses certis intervallis iniectae pandemiam vincere non poterunt.’ Talia verba possunt modo erroneo intellegi; oportet totam declarationem legere ut comperiamus OMS, cui totius mundi incolae sunt curae, nuntiavisse, si vaccina fabricata in regiones iam satis vaccinatas mitti pergerent potius quam ad multas frequentesque gentes nondum satis vaccinatas, pandemiam exstingui non posse.

Medicus chirurgus Thomas Sarnes magis etiam nocet quam nonnulli venales medici, qui scripto falso confirmant aliquem vaccinatum esse, qui non est, ut ‘sanitatis syngraphum’ tamen accipat; eius enim errores vel mendacia, cum per retia socialia (veram luem) diffundantur, dubium inserunt in mentem hominum qui per se de his rebus iudicare non possunt. Dixit inter alia: ‘Nemo aegrotus est nisi habet symptomata et nemo nisi aegrotus potest alios inficere.’ Hoc est omnino falsum ut supra explicui.

Quomodo dicere audet de ‘methodo maxime dubia et parum probata’, cum, milionibus hominum vaccinatorum nixa, iam diu suam efficacitatem demonstraverit.

Alia verba insidiosa: ‘Quid nostri politici tam vehementer urgent homines, ut subeant vaccinationem tertiam, quamquam Organisatio Valetudinis Mundana persona illius Tetros secretarii generalis propter datorum condicionem urgender dissuadet, ne homines tertia vice vaccinentur?’ Supra explicui significationem declarationis integrae illius praefecti.

Et tot alia sunt! Tempus non perdam omnibus respondendo.

Falsum quoque est autumare in democraticis civitatibus vaccinationem numquam fuisse obligatoriam. In Belgica v.g. obligatoria fuit contra variolam et poliomyelitidem, qui morbi sunt eradicati.

De tempore praeterito (quibus ipse non vixit) quoque loquitur. Natus est in RDA, ubi cursum medicum suum habuit, dicit se vaccinavisse et vaccinatum esse!

De temporibus Hitlerianis disserens dicit: ‘Quonam modo totus populus potuit mentem sanam amittere?’ Modus operandi tyrannidum semper idem est. Factio Nationalis Socialistica, Hitlero duce, democratice electa est, sed statim ac habenas regiminis firmiter tenuit, omnes democraticas libertates sustulit. Initio optime accipiebatur a populo, cum finem fecisset inopiae laboris, miseriae et pecuniae debilissimae. Cum ignavissimi

potentissimarum democratiarum occidentalium regentes in Berchtesgaden Berghof aquilae nido, prodito tractatu communis defensionis cum Tsecoslovacia pacto, huius civitatis montes Sudetes, quos incolebant Germanophoni, Hitlero tradiderunt ut iste sibi pacem pertetuum concederet, in patriam reversi iidem regentes sine verecundia acclamati sunt, cum pacem servavissent! Hitlerus, cum de Berghof descendens Monacum transiret, quoque a populo frenetice acclamatus est, quod omnia, quae voluerat, sine bello incredibiliter accepisset ac pacem perpetuam promitteret. Sed Hitler de 'Lebensraum' in Oriente sibi acquirenda somnians, non pacem et prosperitatem suo populo attulit sed atrox bellum ingentemque cladem, qua omnes Europaeae civitates debilitatae sunt. Sic sunt dictatores, sic est Poutine, qui iam conatus est Hitlerum imitari. Cura ut valeas.

DE VACCINATIONE CORONARIA QUID SENTIAT....

Otto Schily



OTTO SCHILY (*1932)
iurisconsultus, olim minister rerum internarum

Otto Schily: Generalem obligationem vaccinatoriam esse irresponsabilem et constitutioni civitatis adversam

Vaccinationis recusatores magis magisque offendi atque molestari. Si obligatio vaccinatoria praescribatur, fieri posse, ut illi poenis pecuniariis ad paupertatem redigantur.

d.2. m.Dec. a.2021 – h.06:31

<https://www.berliner-zeitung.de/news/otto-schily-allgemeine-impflucht-ist-unverantwortlich-und-verfassungswidrig-li.198254>

Otto Schily iurisconsultus et minister quondam rerum Germaniae internarum (1998-2005) vituperat praecepta politicorum coronaria. Îdem vir dicit se iam ter vaccinatam esse, sed putat generalem obligationem vaccinatoriam esse *irresponsabilem* et *constitutioni civitatis planê adversam*. In symbolâ ephemeridis, c.t. *Welt*, Otto Schily scribit haec:
„In democratiâ liberali-constitutionali rei publicae non permittitur, ut sibi arroget singulum hominem cogere, ut subeat aliquam curationem medicinalem.“ ***Perfidum esse statuta priora, quae spectent ad iurum fundamentalium nucleum, levi bracchio, lento pectore declarare irrita atque obsoleta.***

Minister prior foederalis scribit hoc etiam potius valere, quia „agatur de methodis vaccinandi nuper demum excultis, quae quos effectûs habiturae sint seriores, cum adhuc breve tantum tempus praeterierit adhibendi, nequaquam certo scire possimus“.

Otto Schily verbis effert se non esse adversarium vaccinandi et suadere *praesertim hominibus, qui referendi sint in numerum vulnerabilium, ut sinant se vaccinari*. Sed se novisse etiam *numerum hominum haud exiguum, qui salubri suâ ratione vivendi et cautione non ceciderint in morbum covidianum nisi asymptomaticum, quamvis non vaccinati sint et convenient multos homines vîrus secum ferentes*.

Recusatores vaccinationis offendi atque molestari

Insuper infantes et adulescentes, si in morbum coronae inciderint, *plerumque leniter tantum affici eorumque immunitatem reconvalescentiâ naturali acceptam procul dubio esse multo constantiorem quam illam, quae effecta sit vaccinatione*. Se quidem nescire, quanta sint *damna valetudinis ab infantibus adulescentibusque vaccinatione contracta*. Tamen: „**Quantum nôvi, reapse causa est sollicitandi, quia inventa sunt damna vaccinationibus effecta multa et gravia.**“

Praeterea Schily putat difficile esse obligationem vaccinationis generalem ad effectum adducere. Iam hodie hominibus non-vaccinatis ferenda esse multa impedimenta. Eisdem in vitâ suâ cottidianâ *etiam etiamque vexari offensionibus atque molestationibus*. Schily: „**Num**“ inquit „**hi homines nunc poenis pecuniariis etiam ad paupertatem sunt redigendi?**“ **An oporteat sequi istos iurisconsultos mente captos, qui serio et lento pectore credant iustum esse recusatores vaccinationis puniri poenis libertatis?**“

Cum *unâ* ex parte disputetur de obligatione vaccinatoriâ, *alterâ* rei publicae non contingere, ut omnibus, qui velint vaccinari, det occasionem vaccinationis completae. Hoc esse absurdum. Secundum tabulam informationum *Instituti Roberti Koch* nonaginta tantum partes pro centum incolarum Germaniae accepisse vaccinationem reintegrativam¹.

d.2. m.Dec. a.2021 – h.06:31

<https://www.berliner-zeitung.de/news/otto-schily-allgemeine-impflucht-ist-unverantwortlich-und-verfassungswidrig-li.198254>

Symbolam Actorum Diurnorum Berolinensium de Ottone Schily scriptam Latinê reddidit Leo Latinus

¹ **vaccinātiō** *reintegrātiva, i.q. originaliter *Auffrischungsimpfung* (angl. *booster vaccination*).

PROFESSOREM VINDOBONENSEM CRITICUM CORONARIUM ESSE DIMISSUM



Prof.Dr.med. Andreas Sönnichsen

d.16., m.Dec.2021, h.11:57

<https://www.heute.at/s/corona-kritischer-professor-andreas-soennichsen-von-med-uni-wien-gefeuert-100179350>

Andreas Sönnichsen, qui innotuit morbi coronarii remediis et vaccinationibus vituperandis, nunc secundum diurnarios a muneribus suis in *Universitate Medicinae Vindobonensi* gerendis exsolutus est.

Nuper îdem *Professor medicinae Dr. Andreas Sönnichsen* litteris apertis causas attulit, quibus dixit vaccinationes covidianas esse recusandas. Denique in conferentiâ diurnariâ contendit „*scandalon medicinae omnium temporum maximum*“ et proposuit sententiam falsam compluries refutatam, quâ in stationibus nosocomiorum intensivis maiore ex parte collocatos esse vaccinos. Îdem director compartimenti medicinae generalis et familiaris Universitatis Medicinae Vindobonensis est etiam consiliarius factionis MFG (*Menschen, Freiheit, Grundrechte*, i.e. Homines, Libertas, Iura Fundamentalibus) et compluries unâ cum eâdem factione adversariorum vaccinationis **publicê reprobavit probas PCR et remedia et vaccinationes coronarias**.

Ut nuntiat ephemeris, c.t. "*Standard*", Universitas Medicinae Vindobonensis nunc definitivê hoc vetuit. Praeterea *Sönnichsen* propter verba eius nuperrimê facta fertur esse dimissus. Eius dimissio d.1. m.Mart. a.2022 ad vim adductum iri.

Universitas Medicinae Vindobonensis iam compluries sententiis ab Andreâ Sönnichsen prolatis publicê contradicens minata erat illum daturum esse poenam officialem. Eundem professorem denique eo fines certos transgressum dimissionem effecisse, quod compluries normas domesticas coronarias negligens praecepta coronaria poenaliter fregisset.

<https://www.youtube.com/watch?v=bwBWxYI9UYE>

Pressekonferenz: Herbert Kickl (FPÖ) & Prof.Dr.med. Andreas Sönnichsen

NUM MORS EFFECTA EST VACCINATIONE?

Pathologi ad publicum prodeunt

Conferentia diurnaria

Mors vaccinatione effecta/ particulae vaccinatorum covidianorum non declaratae

In Instituto Pathologiae Reutlingensi die Lunae, 20. m.Sept., a.2021, exhibita sunt resultata necroscopiae octo hominum, qui mortui erant post vaccinationem covidianam. Analyses autem telarum cellularium subtiles factae sunt a pathologis *Prof.Dr. Arne Burckhardt* et *Prof.Dr. Walter Lang*. Eorum cognitionibus confirmatur conclusio *Professoris Doctoris Petri Schirmacher*, quâ îdem dixit *tertiam ferê partem plus 40 hominum* intra duas septimanas post vaccinationem covidianam mortuorum, quorum cadavera ipse obduxisset ratione necroscopicâ, *mortuam esse effectu vaccinationis*.

Fontes: <https://odysee.com/@Wahrheitssuche:42/Undeklarierte-Bestandteile-der-COVID19-Impfstoffe-PathologieKonferenz:2>

Austriaca nuntiorum statio AUF1

Alterâ in conferentiâ pathologorum innotuisse cognitiones terrificas

d.02. m.Dec.2021

<https://auf1.tv/nachrichten-auf1/zweite-pathologenkonzferenz-brachte-erschreckende-erkenntnisse>

Primâ iam conferentiâ pathologorum a *Professore Arne Burckhardt* institutâ multi homines vehementer commoti erant. Berolini ante duas septimanas facta est altera conferentia. Etiam vice alterâ innotuerunt resultata investigandi nova. Critici medici forenses invenerunt genotechnico siphunculo experimentalis¹ effecta esse numerosa detrimenta organismi. Etiam scientistae aliarum disciplinarum disputationis fuerunt participes, e.g. medica oncologica rettulit se in hominum contra vîrus coronae vaccinatorum corporibus observasse tumores rapidê crescentes.

¹ *genotechnicus siphunculus +experimentalis i.e. originaliter: die experimentelle Genspritze.

CONFERENTIA CORONAE DIURNARIA

Suspicionem sceleris ingravescere

<https://www.kla.tv/Corona-Presskonferenz/20238&autoplay=true> www.kla.tv/20167

d.13. m.Oct. a.2021 |

„*Mortem esse vaccinatione effectam / partes vaccinatorum covidianorum non declaratas*“ - hic fuit titulus conferentiae diurnariae d.20. m.Sept. a.2021 *Reutlingâ* in urbe Suebicâ, quae facta est a pathologis, medicis, et a scientistis et a iurisconsultis. Per plus tres horas scientistae clarê atque perspicuê demonstraverunt damna vaccinatione effecta. Iidem concluderunt oportere, ut vaccinationes covidianae statim sisterentur pro eo, ut nunc etiam vaccinentur infantuli. Patroni praesentes dixerunt in hac re ingravescere suspicionem sceleris.

Prof. Dr. Werner Bergholz, specialista qualitatem aleamque rerum dispensandi², statisticis coronariis perpensis resultata sua iam bis obtulit *Commissioni Valetudinis Conventûs legatorum Foederalis*.³ Qui dixit in conferentiâ diurnariâ: „*Habemus problema.*“ „*Spatio annorum, quod interest annis 2000 et 2020 in Germaniâ facti sunt circiter 40 miliones vaccinationum; circiter 20 homines mortui sunt, ut rectê dicamus, arto conexu temporali cum vaccinatione coniuncti. At hîc anno (i.e. a.2021), usque ad 31. m.Iulii, mortui sunt 1.230. ... Hoc non est augmentum leve. Hoc est augmentum dramaticum. Ita est, cari spectatores, sed iidem sunt tantum Germani. Totâ in Europâ secundum depositorium datorum Magistratûs Medicamentorum Europaei iam plus 14.000 mortui sunt cum vaccinatione coronariâ cohaerentes*“.

Prof. Schirmacher pathologus in ephemeride medicorum publicavit se 40 cadavera obduxisse ratione necroscopicâ, qui intra 14 dies post vaccinationem covidianam mortui essent. Eius resultatum: In 30-40% (minimum in triginta, summum in quadraginta partibus pro centum) casuum mortem cum hac vaccinatione cohaerere. Secundum relationem securitatis ab Instituto Pauli Ehrlich publicatam in infantibus germanicis post vaccinationem observati sunt 200 effectûs secundarii graves et unus

² *specialista quâlitâtem âleamque rerum dispensandi i.e. *Spezialist für Qualitäts- und Risikomanagement.*

³ *Commissiô Valêtûdinis Conventûs lëgâtôrum Foederalis* i.e. *Gesundheitsausschuss des Bundestages.*

casus mortis. *Magistratus Medicamentorum Europaea* indicat in Europâ 2.000 infantium esse graviter debilitata et 39 esse mortuos. Prof. Bergholz opinatur has omnes esse causas, quibus aestimanda sit alea vaccinationum covidianarum. In hac autem re multum valent obductiones cadaverum, ut patefiat, utrum casûs mortium et vaccinationes inter se cohaereant necne. **A.1997** etiam *Institutum Roberti Koch* hac necessitate cognitâ postulavit: „*Casûs mortis subiti, quos factos esse infectione verisimile est, oportet semper investigentur ope autopsiae.*“ At **a.2020** Institutum Roberti Koch conversum est ad sententiam contrariam eo quod impedivit, ne fierent obductiones hominum morbo coronae mortuorum.

Pathologi **Prof. Burkhardt** et **Prof. Lang** 10 casûs obductionis post vaccinationes coronarias factas existimaverunt. Qui concludunt ea quae sequuntur: Corpus vaccinatum reagere „*cursu lymphocytorum amuciano*“¹. Ideo lymphocyta catervatim aggredi praesertim cor et pulmonem, sed etiam omnia organa cetera, ut fiat ibidem defectus organi et inflammationes. Istis factis atque resultatis sollicitantibus res clarê patefacta est. Pathologi posibles effectûs vaccinationis coronariae secundarios indicant hos, qui sequuntur: • ***morbi autoimmunitatis*** • ***deminutio immunitatis*** • ***augmentum crescentiae canceromatis*** • ***detrimenta vasorum sanguinis*** • ***conglobatio erythrocytorum.***

Investigatores sollicitantur de photographematis, quae a medicis sibi missa sunt cuiusdam retificii internationalis. Qui sub microscopio partes vaccinatorum reliquas perquirentes invenerunt aliquot decurias particularum anorganicarum, quae sunt formâ et magnitudine vehementer variâ, sed usque nunc non declaratae sunt a vaccinatorum fabricatoribus. Quae particulae partim habent acies acres, saepe sunt triangulares, partim longitudinales et catenatae, interdum sunt structurae internae aequalis aut sunt pellucidae. Multae earum ultro se movent, nonnullae si siccatae sunt, aspectum habent *assulae computatralis*². Praeterea in vaccinis inventa sunt substantiae adiutoriae et comitativae, velut *graphenum oxydatum*, *aluminium*, *chromium*, *nicolum*, *formaldehydum*, quarum nonnullas *cancerogenas* esse notum est. Etiam hac in re quaerendum est, quonam fine, quo sensu istae substantiae inditae sint vaccino putativo. *Elmar Becker* patronus pro certo habet ***causis moralibus, scientificis, iuridicis***

¹ *cursus* *lymphocytôrum *amuciânus i.e. *Lymphozyten-Amoklauf*.

² *assula* *computâtrâlis i.e. *Computerchip*.

inevitaliter necessarium esse, ut investigetur, num quae cohaerentia sit inter hominis mortem et vaccinationem, quam subiit. Qui dicit: „Equidem non patior rem publicam in hac re manere inertem.“

Etiam **Prof. Bergholz** censet rem publicam et Institutum Pauli Ehrlich et Institutionem materias probandi foederalem necnon fabricatores vaccinatorum esse officio obligatum, ut has res exploratas patefaciant.

Holger Fischer patronus omnes homines responsables monet his verbis gravibus: *„Qui istaec perget agere, quamvis sciat ea quae nos hodie hîc patefecimus, fiet poenalis. Qui non poterit se excusare eo quod dicit se non consulto egisse aut saltem condicionaliter consulto. Et ea, quae hîc experimur, sunt scelus contra genus humanum commissum, quod appellatur: „extinctio“. Hîc extinguuntur homines.“* Holger Fischer postulat, ut agatur ab *Hagensi Aulâ Iustitiae Internationali*¹. Itaque patroni adhortantur medicos, ut testimonia damnorum atque detrimentorum, quibus patientes sui afflicti sunt, iudicibus Hagensibus offerant. *„Nostra gubernatio, membra nostrae gubernationis et Instituti Pauli Ehrlich et Associationis Medicamentorum Europaeae, poenales fiunt, sed non effugient.“*

VACCINA COVIDIANA:

QUARE NULLO MODO PROTEGANT ET QUAM PERSONAM GERANT IN CASIBUS MORTIS EFFICIENDIS

d.24. m.Dec. a.2021

<https://rubble.com/vrccvb-covid-impfstoffe-warum-sie-nicht-wirken-und-zwingende-beweise-fr-ihre-rolle.html>

<https://report24.news/bhakdi-ist-sicher-dass-impfung-nicht-hilft/>

cfr https://www.youtube.com/watch?v=aFl_tC8eCoc

cfr <https://de.rt.com/gesellschaft/119400-corona-ausschuss-nehmt-das-zeug-vom-markt/>

Prof. Sucharit Bhakdi et *Prof. Arne Burkhardt* hîc ratione scientificâ demonstrant usum vaccinatorum covidianorum basi geneticâ confectorum statim esse finiendum. Idem explicant, cur ista vaccina non protegant contra infectionem viralem. Talia si adhibeantur, nullum effectum utilem esse exspectandum. Idem professores demonstrant istis vaccinis effici processûs autodestructivos², quibus homines vaccinati graviter aegrotent vel moriantur.

¹Hâgēnsis Aula Iūstitiae Internātiōnālis, i.e. *Internationaler Gerichtshof in Den Haag*; angl. *International Court of Justice in Den Haag*; fr. *Cour internationale de Justice à Den Haag*.

²*autodēstrūctīvus, -a, -um orig. *selbsterstörerisch*. cfr <https://de.scribd.com/document/446288151/Hominologia-maio-de-2016>: homo sapiens autodestructivus. -

Prof. Burkhardt comprehendit ea quae nuperrimê cognovit ratione histopathologicâ perscrutatus corpora 15 hominum, qui intra paucos dies post vaccinationem erant mortui. Îdem investigator describit lymphocytas, quae insigni atque unicâ infiltrationem invadunt in vasa sanguinis multaque organa, praesertim cor atque pulmonem. *Bhakdi* et *Burkhardt* pro certo habent haec inventa esse indicia indubia *pathologiae vaccinis inducta autoimmunitati similis*.

Vaccinis in corpore effici posse processûs autodestructivos

Exspectandum esse talibus processibus autodestructivis factum iri myriades effectuum secundariorum in omnibus hominibus vaccinis, praesertim in iis, qui iam *vaccinationem* subierint *reintegrativam*¹. Procul dubio vaccinis covidianis basi genetico confectis iniciendis periculum imminere vitae hominum istam vaccinationem subeuntium. *Bhakdi* et *Burkhardt* verbis efferunt in casibus mortis, quos perscrutati sint, omnes fabricatores vaccinatorum magnos adhibuisse vaccina et basi geneticâ et vectoriâ confecta.

VARIAS RELATIONES DE EFFECTIBUS VACCINORUM COVIDIANORUM SCRIPTAS COLLEGIT ET LATINE REDDIDIT LEO LATINUS

¹ **vaccinātiō +reintegrātiva** i.q. *Auffrischungsimpfung*, angl. *booster vaccination*.

HAICU LATINUM MAURI PISINI

MAURUS NICOLAO S.

En, amice, carmen quod tibi praenuntiaveram, more haicuum effictum.
Valeas quam maxime et vota suscipe mea in festivitates iam venturas.
Maurus Pisini

Occursus

**Dum verto glebas,
erithacus ab auris
mi, mox, apparet:**

**tum ipsum scrutor,
is callidus aufugit,
sed cito redit,**

**vermes quaeritat,
psallit, volat, donat mi
rubeum pectus.**

Hoc carmen versibus haicuis conscripsi.
Maurus Pisini

COLLECTIO RADULFI LAVALLE BONAERENSIS: CARMINA HODIERNA



**Edidit Radulfus
ab Urbe Bonaerensi**

Si vis ad nos scribere:

raullavalle@fibertel.com.ar

n° 7 – 2020

número dedicado mayormente a Martín Freundorfer... y a la peste

Nota: La Redacción no necesariamente comparte las opiniones vertidas en esta publicación.

ÍNDICE

Presentación	p. 3
<i>Martinus Freundorfer et pestis</i>	p. 4

<i>Denuo Martinus et pestis</i>	p. 7
<i>Denuo Martinus et pestis... sed melius</i>	p. 8
<i>Martinus et vinum effusum</i>	p. 9
<i>Martinus et Nativitas AD 2020</i>	p. 10
<i>Martinus, finis et principium</i>	p. 11
Photographemata	p. 13
Minutiae felices	p. 14


PRESENTACIÓN

Amice carissime

Primum omnium, una aclaración muy necesaria. El primer número de esta publicación electrónica se llamó *Poesis Latina hodierna*. Como soy viejo, con bastante frecuencia me olvido de las cosas. En este caso, se trata del sitio de la Red POESIS LATINA HODIERNA (<https://www.suberic.net/~marc/poesislatina.html>) hecho ya hace tiempo por el estadounidense Marc Moskowitz, a quien envié una *epistula electronica* con pedido de disculpas. Fue una falta grave de mi parte (yo mismo había publicado en ese sitio). Lo único que puedo decir en mi defensa es que no tuve mala intención (*error, non scelus*). Entonces, a partir de ahora, si bien mantengo la numeración uno para el número de título fallido, este modesto trabajo se llamará *Carmina hodierna*. En fin, en él quiero escribir –y también dar a otros la oportunidad de hacerlo– poesía en latín. Sé que no soy un gran poeta, pero creo que escribiendo aprendo: *scribendo scribere discimus*.

Deseo agradecer muy especialmente al profesor Mark Walker, de Inglaterra, quien con su revista electrónica *Vates: The Journal of New Latin Poetry*, ha sido mi inspirador, aunque mis medios y mi eficiencia no pueden compararse con sus enormes méritos (es autor de varias publicaciones; entre ellas, *Hobbitus ille*, traducción de *The Hobbit* a nuestra lengua madre).

Me gustaría que me acompañaras en este *labor infimus*. Tuus,
Radulfus



RAEDARUM SERIES INCEDIT

Martin Freundorfer envió a sus contactos unos bellísimos y a la vez tristes versos. Tal tristeza, como todo el mundo sabe en estos momentos, se debe a la terrible peste y aislamiento al que estamos sometidos. Nuestro amigo latinista no dio opinión sobre tal o cual medida, sino que expresó su *planctus* y oró ante tan duras circunstancias.

Antes de leer su poema, veamos qué noticia periodística fue su fuente de inspiración (además, por supuesto, de su espíritu poético).



El texto del diario italiano:

L'Esercito torna a Bergamo per trasferire 74 salme

21 Marzo 2020

I mezzi dell'Esercito sono tornati a Bergamo, questa mattina, per trasferire altre salme nei tempi crematori fuori regione. Verso le 7, una lunga fila di camion è partita dal Cimitero Monumentale, diventato uno dei simboli della tragedia causata dal Coronavirus, per portare via 74 feretri che

riposano nella camera mortuaria e nella chiesa. Solo nella giornata di ieri, nel bergamasco, sono morte 88 persone e il forno crematorio non riesce più a fronteggiare questo stato di emergenza.

El lector puede verlo en la Red. Pues bien, hecha la aclaración, copio los dísticos de Martinus:

MARTINVS SODALIBVS

Raedarum series incedit longa silensque
 horridaque it uacuis miraque pompa uiis.
 Quaeritis, hoc quod onus tardum efferat agmen; an auctor
 horribilis stragis Mars fuit arma mouens?
 Sed mala pro pugna pestis dat corpora terrae,
 quae rapuit tacita morte cruenta lues.
 Condendis caris maesti coguntur abesse
 et flet lege suos quisque iubente procul.
 Fac, Domine, ut fugiat letalis morbus et horror
 et post tot redeat funera dira salus.

VALETE


Se me ocurre una sola cosa para decir. Estamos volviendo a tiempos antiguos. En efecto algunas personas piensan que en las edades pretéritas la mayor parte de la gente moría por las guerras. No es así; el número de muerto por la guerra (Mars, como dice Martinus) era muchísimo menor que el de los que caían por enfermedades; enfermedades que después la medicina logró reducir drásticamente, para nuestro bien.



Pero también estuvo la peste en otro de los epigramas que envió a sus amigos, para el Domingo de Ramos.

Intrauit Dominus laudantibus omnibus urbem
 atque asinus tenuis membra sacrata tulit.
 Vox et palma uirens, manibus quam tradidit arbor,
 te saluere iubent, et, quia rex es, ouant.
 O rex, Christe, ueni, dira cum peste premamur,
 et populo auxilio tempore curre malo!

Escribo esto en el Jueves Santo y no niego que me siento triste por el encierro. Pero las otras bellas cosas de la vida (una de ellas, leer los poemas de Martinus) pesan más. Aunque soy “*asinus tenuis*”, quizá tenga fuerza de sobrellevar lo que resta. [Radulfus]



DENUO MARTINUS ET PESTIS

Cum reppsisse putes dies, peracti
tandem sunt uacuaeque rebus horae
depulsae et spatium otiumque cedit,
quod nemo uoluit, graue et molestum.
Tempus difficile incipit remitti,
ut iam non uideatur ipsa carcer
inclusis domus incolis. In urbes
lento uita redit pede, qualis ante
a nobis erat acta lege nondum
nos exire domo uetante nostra.

MARTIN FREUNDORFER

Adeste, hendecasyllabi! Esta vez Martinus se vale del metro que tanto usó Catulo. Me hace muy feliz ver que algunas naciones están empezando a salir ordenadamente de la cuarentena. Me ha gustado mucho el empleo de *carcer*, pues ni los políticos, al menos hasta ahora, han podido privarme de *todas* mis libertades. Como le dije a mi amigo poeta, palabras más o menos: “male est mihi... sed etiam bene: tibi bene est.” [Radulfus]



Somnium meum: politicus a peste captus.

DENUO MARTINUS ET PESTIS... SED MELIUS

Omnibus ut uobis fiant, precor, otia grata,
 sit bona mens, aestas commoda possit agi.
 Seu silvae uirides et mons tibi adibitur altus
 siue domi remanens stagna natanda petes,
 seu mare membra lauet uis et tua fuscet arena,
 sit facile hoc tempus, sit sine peste salus!

MARTIN FREUNDORFER

A comienzos de julio Martinus envió a sus contactos sus deseos de un feliz y sano verano. Confieso que tengo una *bona invidia*, si así puede decirse, de los países que han bajado drásticamente su curva de contagios y gozan de muchísima más libertad que en mi patria, a la hora de disponer de nuestro propio cuerpo para ir donde queramos. Veranear en las sierras, en una piscina, en el mar y las playas... *Sero te amavi*, decía San Agustín. [Radulfus]



Vallum pestifugum

MARTINUS ET VINUM EFFUSUM

Heus, effunditur editurque gratis,
 donum, Bacche, tuum – quis haurit undas? –,
 terram ut sanguine censeas madere
 nec sorbere merum scatens labella
 possunt, Bacchica dona. Perditumne
 hoc munus? Minime! Latex ad Orcum
 acer perueniet: Mero scelestus
 gaudebit Niobes pater superbae
 et nullo capiet uetante guttas.

MARTIN FREUNDORFER

https://www.cope.es/emisoras/castilla-la-mancha/albacete-provincia/albacete/videos/vino-salta-por-los-aires-villamalea-20200925_1222688. Ya estamos acostumbrados a la caterva de letras interreaciales. Las que acabo de citar me las envía Martin Freundorfer, junto con los endecasílabos que hizo al respecto. En un año en que se derramó tanta peste, que se derrame al menos algo de vino; vino que tal vez nos inspire para solazarnos con nuevos versos. Que Tántalo, padre de Níobe, y las divinidades infernales se lo beban y nos dejen un poco tranquilos aquí arriba. [Ampelius]



Divinum nectar profuse effusum

MARTINUS ET NATIVITAS AD 2020

Horum terribilis cursum mox finiet annus:
 Vix, quem di dederint, dirior ullus erit.
 Nondum uicta lues, nondum sunt semina morbi
 pulsa mali nec ages, ut fuit ante, dies.
 Natalis Domini nihilominus aduenit ad nos,
 cum gaudere palam iussa sequenda uetent.
 Hoc ut difficili, tamen opto, tempore uobis
 gaudia sint et sit pax faueatque Deus.

MARTIN FREUNDORFER



Todo el mundo se lamenta por esta Navidad “limitada.” Es cierto, pero me felicito de haber llegado a ella y de cumplir con mi tradición de leer los saludos poéticos de Martinus. Lo primero que le agradezco es algo gramatical: me recuerda el uso del antiguo adjetivo *hornus*. Pero también me dice que nos queda un no pequeño tramo de *militia contra virus* y que, a pesar de las duras leyes (no sé si suscribo en un todo aquí la palabra “sequenda”), sigue llegando la *Nativitas Domini*. [Radulfus]

MARTINUS, FINIS ET PRINCIPIUM

Llegamos al fin del año... y también al fin de este número. Incluiremos entonces en esta nota dos composiciones que recibimos recientemente de Martinus. La primera está dedicada al final de este pestífero 2020.

Quis, quota lux, nescit, tandem sit, callidus, orta?
 Vltima lux anni defugientis adest.
 Mens his temporibus fert diuinare futura,
 dum uetus annus abit, dum nouus annus init.
 Quin, ne deterior ueniens hoc sit, precor, annus?
 Non poterit peior proximus esse mihi.
 Vt uobis tribuat bona, qui mox annus inibit,
 dulciaque addantur gaudia sitque salus.

O fortunatum nimium, mea si mala norit Martinus! Me alegro verdaderamente por mi amigo, porque no tengo dudas de que el 2021 será mejor que el 2020... para Austria. En cuanto a mi patria Argentina, no me parece que se puedan esperar muchas cosas buenas. Me quedo con los deseos de los dos últimos versos, que tal vez sí se hagan realidad en cuanto a mí, pues tal vez me acompañen una moderada salud y el afecto de mis seres queridos. Un pequeño obsequio de la Providencia se sumará (sabiamente dice “addantur” mi amigo) a las muchísimas cosas buenas que antes me dio.




Y, al empezar este 2021, *ut mos est ei*, Martinus envió a sus contactos latinos este epigrama de año nuevo.

Non solum menses et tempora respicis acta,
 uerum etiam cernis, Iane, futura, biceps.
 Dexter ades populis Bellonaeque arma refrena,
 ne furat et tinguat sanguine cuncta furens.
 Dexter ades medicis, medicamine denique ut apto
 a mediis pereat Seribus orta lues.
 Vt sis, Iane bifrons, anni melioris origo,
 neu nouus, optamus, iam mala nota ferat.

Creo que nunca en mi vida he tenido esta mirada a lo Jano, sobre un año malo y sobre otro... dije arriba que no creo sea mucho mejor para mí. Pero nuestro amigo nos recuerda algo muy cierto que yo, con mis pocas luces, olvido. En efecto no es este virus lo peor que le pasó a la humanidad. En todo caso, muy malo es lo que nosotros hemos hecho ante esta situación: *o tempora, o mores!*



PHOTOGRAPHEMATA



Gerd Allesch es profesor universitario, gran estudioso del mundo grecolatino y también poeta. Invito muy especialmente a leer sus odas, que traen a nuestra vida de hoy al gran Horacio. Tenemos el honor de contarle entre nuestros colaboradores.

MINUTIAE FELICES

Virus terribile

Λοιμὸς μ' ἔχει ἐν τῇ πόλει
 παρασκευάζοντα στίχους·
 μόνος ἔσομαι ἐν δόμῳ
 ἀλλὰ καὶ σὺν τοῖς ποιηταῖς.

Radulfus

[Pestis me habet in urbe / versus parantem: solus domi ero / sed etiam cum poetis.]

Dulcis Francia

Libertas aeterna est tibi,
 quam tibi dedit sapientia
 quam coluisti ab illis aevis,
 ubi coluit aurea Roma
 Celticam rusticitatem.

Jean Villon

Discipulae Florentiae feles

Plato vocatur Florentiae
 discipulae pulcher feles;
 merito, quod miro modo
 eum aestimo divinum.
 Divinum vocant Platonem,
 divinum hunc felem voco:
 formam puram certe mihi
 puncto temporis donavit.

Radulfus

**Un conejo en el patio de mi edificio**

Domum venit pulcher lepus...
 est *cunicula* et non mas.
 Keki –dicunt– ea vocatur.
 Veni, vidi et amavi
 bestiolam mihi cariorem
 passere illo Catulliano.


Radulfus



Día del mate

Cum amicis vel in solitudine
herbam Paraquariam bibam
et sapore amicitiae delectemur,
quando simus in aegritudine.

SERGIUS



Personula, magnum malum


Auriculis nos audimus,
magnum donum dedit Deus...
insuper fallere pòssumus
magnum et pravum latronem,
qui nos personulis ligat.

Lucas Salerno



Hibernici donum

Hibernicus, carus iuvenis, ad amicos hanc imaginem dono dedit. Latini sunt ei versus, ut videtis. [Radulfus]



**INVITIVS
DE PROXIMO CONVENTV
ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE
(11-15.VI.2022)**

**“DE VRBE ROMA” SIVE DE CONVENTV OMNIVM GENTIVM QVEM ROMAE
CELEBRABIT ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE (11-15. VI. 2022)**



Pandemia coronaria, quae diu ac vehementer saeviit, factum est ut Conventum omnium gentium, quem medio hocce anno 2021 celebraturi eramus, differre cogeremur. Etiamsi nondum sit morbus ille vel insitionibus vel aliis remediis plane depulsus, tamen spes est fore ut eius vires paulatim laxentur. Hinc in annum proximum non sine confidentia prospicimus et Conventum nostrum denuo proponere audemus; veri enim est simile fore ut verno tempore ad finem vergente fortuna nobis faveat hominumque coetus permittat maiores. Itaque quadriduum praestituimus quod nobis ad congressum esse videbatur aptum: peragetur Conventus a die 11 usque ad 15 mensis Iunii anni 2022. Die 11 habebitur Coetus Generalis Academiae Latinitati Fovendae; reliqui autem dies ipsi Conventui dicabuntur. Ad colloquia Latina tam iucunda quam docta per eos dies serenda in monasterium S. Caeciliae Romanum, quod est in regione Transtiberina, conveniemus; at, acroases nonnullas et orationes ut audiamus, devertemus etiam in Pontificiam Studiorum Universitatem Salesianam, quae est in Urbe, atque in Academiam, cui nomen Vivarium Novum, quae est Tusculi. Conventus argumentum erit ‘De urbe Roma’, quod etsi simplex est et unum, latius tamen patet. Alios enim de litteris antiquis, mediaevalibus, vel recentioribus et recentissimis, alios de

descriptionibus Urbis eiusque topographia, alios de aedibus et villis poetice descriptis, alios de titulis, alios de historia Urbis, alios de pictura Romana, alios de notione Urbis Romae eiusque fortuna disserere iuvabit. Ut rerum, ita temporum quae respicientur dubio procul erit varietas insignis, quod hi ab Urbe condita, ut ita dicamus, incipere cupient, illi ad hoc, quo vivimus, aevum descendere volent; quidni liceat utrumvis? Admittentur ergo, quantum id quadriduum sinet, orationes Latinae maxime variae, ea tamen condicione ut argumenta tractanda cum lingua Latina dilucide coniungantur et fontibus Latinis quodammodo innitantur. Inter Conventum orationes acroasesque Latinae locum obtinebunt summum illae quidem, at etiam spectacula quaedam edentur producenturve acroamata, haud neglectis cantibus Latinis. Exitum optatum eiusmodi Conventus non habebit, nisi oratores boni oratricesque bonae interesse ipsi voluerint, qui argumenta proposita apte, docte, Latine exponant. Omnium insuper participum erit acroases singulas suis interrogationibus, observationibus, disputationibus locupletare.

De ipsis autem orationibus habendis generatim praemonenda sunt haec:

- Singulis oratoribus dabitur semihora ad dicendum.
- Quo facilius participes verba prolata intellegere possint, auctores sumus ut orationum exempla duabus circiter ante Conventus initium hebdomadibus ad moderatores mittantur per cursum electronicum; namque verba, dum recitantur, tam excipi auribus quam ope programmatis alicuius electronici oculis inspicere posse velimus. Quodsi hic illic invenietur, qui ex tempore orationem Latinam habere velit, nihil obstat, dummodo, programme quod Anglice 'Powerpoint' appellatur usus, rerum adumbrationes sive lineamenta quaedam proponat, quae audientibus auxilio sint futura.
- Acta Conventus typis postea edentur.

Ad hos igitur dies Latinitatis festos te libenter invitamus, cum ut rebus agendis intersis, tum ut orationem praesens habere conventusque argumentum, quod diximus, disceptatione tua illustrare atque ornare digneris. Gratissimum nobis feceris si data epistula annueris, addito orationis habendae titulo necnon summario, quod verba summum CCL complectatur. Quem tu titulum subiuncto summario ut ad Kalendas Ianuarias anni 2022 ad nos cures mittendum oramus, hac sola adhibita inscriptione, quae est: nicodemico4@gmail.com Deinde mense, uti speramus, Ianuario anni 2022, cum proposita omnia nobis erunt allata, ordinem rerum in Conventu agendarum rite constituemus deque eo te quam primum fieri poterit certiore faciemus.

Hoc est igitur nobis in votis, ut incepto faveas, epistulae huic rescribas nomenque des in Conventum! Fac optime valeas!

D. anno 2021 a.d. VII Kal. Ian.

Francisca Deraedt – Nicolaus De Mico – Christianus Laes – Aloisius Miraglia - Theodericus Sacré

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSII	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,

USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !





**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DUODEQUINGUESIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Lunae, 27. m.Dec. a.2021



Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae